Lenyu

GOTFRIDI LENGNICH

SYNDICI GEDANENSIS

JUS PUBLICUM PRUSSIÆ POLONÆ.

GEDANI

TYPIS ET SUMTIBUS THOM. JOH. SCHREIBER.

1758.

PRÆFATIO.

Habent Prussi publica jura, alia cum Polonis, quibus juncti, communia, alia

ſibi propria. Ad illa admisſi, cum a Rege CASIMIRO Jagellonide in ditionem reciperentur; hæc, tum ex veteri Ordinis Teutonici regimine ſibi integra pacti, tum a novo Principe obtinuerunt. Illa recte ex Regni legibus & ſcriptis eorum, qui Regni legibus diligenter excusſis, jus Polonorum publicum compoſuerunt, cognoscuntur; hæc ex iis, quæ Crucigerorum ætate inſtituta, ex *incor-*

incorporationis privilegio, ex ſancitis poſterioribus, & auctoribus, qui Pruſſorum jura explanarunt, repetenda ſunt. Patrum majorumque noſtrorum memoria, ſtudium juris publici præclare adjuvabant conventus Pruſſorum generales, qui ſatis commode Reipublicæ poterant dici ſcholæ: in quibus ſeniores dum conſultarent, docebant, quid juribus conſentaneum eſſet, quid ſecus, juniores audiebant

 vide-

videbantque, quæ ignoraverant adhuc, quæ tamen ſcire illorum intererat maxime, ne Reipublicæ ſuæ ignari, in patria hospites eſſent. Sed noſtra ætate ſcholas illas raro adire licuit, conventibus minus frequentibus, ut poſt annum 1713. anni quindecim intercederent, donec unus inchoaretur, ſeptendecim, donec unus abſolveretur, & jam anni duo ſupra viginti numerentur, ex quo nullus

ne cœptus quidem eſt. Quare ſcholis illis in magnum publici juris damnum ſilentibus, leges & auctores, qui legum uſum docuerunt, conſulendi ſunt: quorum numerum ſatis alias modicum aucturi, anno 1722. *normam Regiminis Prutenici* deſcripſimus, quam germanice primo *hiſtoriæ Pruſſicæ* tomo præpoſuimus, ac mox latine ſeorſum excudi curavimus. Cum vero *normæ* illi anguſtiores limites eſſent

conſtituti, quam ut recentiora & præſentia tempora attingeret, placuit anno 1727. *hodiernam Reipublicæ Prutenæ faciem* addere, eamque primum ante hiſtoriæ Pruſſicæ quintum tomum germanice exhibere, deinde ſequenti anno libello ſingulari latine repetere. Cujus dum altera editio flagitatur, priore plane vendita, nec in multorum manibus, & ad novam me accingo, video, multa eſſe addenda, nonnulla corri-

corrigenda, quædam disponenda aliter: quid enim non triginta annorum ſpatium, ex quo prima prodiit, mutat? quid non docet, ſi modo velis discere? Quare *hodiernam* illam *faciem* ſepoſui, quaſi expreſſa non eſſet, ordinem tantum, neque hunc ubique, retinens, ut qui ſub alio titulo jam prodit, novus dici jure libellus queat, compoſitus, ut prior ille, ad legum auctoritatem, hiſtoria rerum geſtarum, leges perpetuo illu-

ſtrante: quod in præſens commodius ac olim fieri potuit, Pruſſiæ hiſtoria in annum 1733. deducta, quæ cum *hodierna facies* excuderetur, in morte SIGISMUNDI III. ſubſtiterat. Acceſſit etiam appendix multarum legum, quæ in tractatione citantur, ac paſſim in tractationis margine litteris ſignantur, ut ſe lectoribus ſtatim offerant. Id addimus, recte fieri, ſi in lectione juris publici conſulatur inter-

interdum *Norma regiminis Prutenici* antea citata, quia in ea plura, quæ jurium origines & primas rationes explanant, quæque ſingula repetere noluimus: neque *jure publico Polono* carere poterunt, qui Pruſſicum perſpicere volunt, quod Pruſſi multa habent cum Polonis communia, quæ ex horum jure publico petenda ſunt: ut ſupra dictum eſt. Plura, quæ in præfatione moneam, vix habeo;

beo, & ambitionis notam ſubirem, ſi de me & opuſculo meo præter neceſſitatem verboſior eſſem.

Scrib. Gedani d. XIV. Dec.

MDCCLVII.
1757

JUS PUBLICUM PRUSSIÆ POLONÆ.

§. 1.

Pruſſiæ vetus & hodiernum regimen. §. 2. Unde ejus jura horumque in nonnullis mutatio. §. 3. Publicum Pruſſorum jus. §. 4. Eligunt Pruſſi cum Polonis Regem, ejusque inaugurationi adſunt. §. 5. Jus indicendi conventus generales interregni tempore. §. 6. Quæ in conventu ante comitia convocationis fiant. Mandatorum, quibus ad comitia illa Nuntii mittantur, ſumma. §. 7. Ad comitia convocationis Pruſſos vocari. §. 8. Irritum haberi, ſi quid in convocationis comitiis adverſus Pruſſos ſancitum. Conventus poſt convocationis comitia. Confœderationes ante

te

re comitia electionis instituta, civitatibus intercedentibus. §. 9. Prussi comitia electionis Regiæ adeunt, ad quæ civitates majores seorsum vocantur. §. 10. Quid in electionis comitiis præter electionem Regiam curandum. §. 11. Electio Regum quomodo a Prussis peracta. §. 12. De die conventus post Regis electionem. §. 13. Quid in ejusmodi conventu fiat. Prussi in Regum exsequias & inaugurationem nihil contulerunt, quamvis eo nomine olim compellati. §. 14. Exempla conventuum ante Regis inaugurationem non habitorum. Inaugurationes nonnunquam sine Prussis peractæ. Prussi ad inaugurationem a Rege invitati. Civitatum majorum præsentia. §. 15. Reges, dum inaugurantur, in leges jurant. Quid Prussi pro suis postulaverint obtinuerintque. §. 16. Confirmationes jurium Prussicorum Regiæ. §. 17. Quid in comitiis post inaugurationem Prussi agant. §. 18. Consilium Prussicum. Qui ex Prussiæ Consiliariis simul Regni Senatores sint. Varmienses & Culmenses Episcopos aliquot, etiam Regni Cancellarios fuisse. Exempla Consiliariorum, qui suam dignitatem cum Polona commutarunt, cum alii, posita dignitate Polona, Prussiæ Consiliarii esse maluerint. §. 19. De Episcopi Varmiensis a suo capitulo electione. Qualis illa electio ex privilegio Sigismundi I. Quomodo hodie peragatur. §. 20. Ob indigenatum creatorum ab

ab Ordinibus Consiliariorum exempla. §. 21. Consiliariis non indigenis, Ordinum consensu opus est, ut in Consilium recipiantur. §. 22. Indigenatus illis tum per laudum, tum solo consensu collatus, qui vicissim, aut litteris aut verbis, curæ sibi fore jura, spondent. §. 23. Quos ex Consiliariis possessionatos esse oporteat. §. 24. Novi Consiliarii ante jusjurandum munia sua exercere nequeunt, quod etiam de Episcopis, qua Consiliariis, intelligendum est. §. 25. Formula ad quam Episcopus Varmiensis jurat. Quid de ejus jurejurando olim sancitum, quod sæpe longius differtur. Potest Episcopus Varmiensis, si indigena, extra conventum generalem jurare. Exemplum Episcopi, qui non Mariæburgi, sed Culmæ juravit. De templo in quo juratur. Interdum nullo præeunte, neque in evangelia, sed in crucem juratum. §. 26. Jurant Consiliarii in generali conventu, & quidem ejus initio. Interdum junctis jam consiliis juratum. Juratur Consiliariis & Nobilitate præsentibus. Quis jusjurandum præeat. Nemine præeunte juratum. Cum Consiliariorum nullus jurasset, excipere jusjurandum, Rex Thesaurario Regni, quia indigena, præcepit. §. 27. Jurisjurandi Consiliariorum formula. Episcopos stantes, ceteros flexis genibus jurare. Jurari per Deum & sanctam crucem. Per evangelia & Christi passionem. Jurisjurandi repetiti exemplum. §. 28.

Novum pro Episcopis jurisjurandi additamentum. §. 29. *Juratur etiam interregni tempore.* § 30, *Consiliarii si semel jurarunt, jusjurandum non repetunt. Episcopus tamen Culmensis, ad episcopatum Varmiensem evectus, jurat iterum.* §. 31. *Consilii Præses. Palatinorum extra Consilium munia.* §. 32. *Civitates majores Consilii pars. Ordo inter has civitates.* §. 33. *Mittunt civitates ad generales conventus Præconsules & Consules. Num semper Præconsules adesse debeant.* §. 34. *Non eosdem civitatum nomine in omnes conventus venire, neque ab iis jusjurandum provinciæ seorsum præstari.* §. 35. *Civitatum majorum Secretarii, quid in conventibus agant. Fides eorum & industria. Mitti Secretarios, etiamsi Magistratus non veniant.* § 36. *Singuli Palatini singulos habent capitaneatus cum jurisdictione. Palatino Culmensi alius capitaneatus, vel pro Kovaleviensi conferendus, vel Kovaleviensi jungendus. Palatinorum ex judiciis castrensibus reditus.* § 37. *De Nuntiis terrestribus, pro quibus sæpe universa Nobilitas conventibus generalibus interest. Quæ inde incommoda. Nuntii quales esse debeant. Exempla Consiliariorum, qui Nuntii fuerint.* §. 38. *Ad Ordines olim etiam civitates minores pertinuisse. Ex quo tempore ad consultationes publicas admissæ non sint, licet in hunc diem ad conventus generales vocentur. Bromberga per errorem ad minores Prussiæ*

siæ civitates relata. §. 39. *Ordines a Rege consuli eosdemque decerni. Inde Prussos non obligari, nisi ex suo consensu.* §. 40. *Ordinarii olim Prussorum conventus, qui desierunt. Jam omnes conventus generales, extraordinarios esse.* §. 41. *Conventus particulares cum integrorum palatinatuum, tum singulorum unius palatinatus tractuum. De conventu tractus Svecensis sigillatim. Quod conventus singulorum tractuum ante generalem habendi sint. Quando cœperint. Origo conventuum integrorum palatinatuum. A quo indicantur.* §. 42. *Quomodo conventus particulares habeantur. Numerus Nuntiorum ex iis ad conventum generalem.* §. 43. *Conventuum particularium ante generalem peragendorum necessitas. Num uno palatinatu absente, generalis conventus haberi queat.* §. 44. *Conventus particulares generalis excipit, qui olim etiam Rege inscio habitus. Exempla conventuum recentiore ætate a Rege non indictorum.* §. 45. *Dies conventuum generalium incertus, sed loca certa, inter quæ vices servandæ sunt. Quomodo vices intelligendæ. Posse tamen justis de causis alio conventus indici. De conventu generali etiam in Pomeraniæ palatinatu habendo.* §. 46. *De Regiis litteris, quibus ad conventum vocantur Ordines. Ad quem in Prussiam mittantur.* §. 47. *Hospitia pro iis, qui conventum adeunt. Ordinarius conven-*

conventuum locus, illisque destinata conclavia. Consultationes sæpe ex curia in templum translatæ. Ob quam rem datur cautio. Colloquium de conventu in templo habitum. Conventus in privata domo, curia & templo, schola & curia. §. 48. Quando incipi debeat conventus. Non posse incipi conventum, nisi omnes palatinatus adsint, & Regis Legatus advenerit. §. 49. De Consiliariorum in conventibus præsentia. §. 50. Orditur conventum Consiliariorum primus, si juratus. Quo ordine Consiliarii sedeant. Novum exemplum cœpti conventus a Consiliario non jurato. Jus hoc civitatibus assertum, Consiliariis superioribus non juratis. §. 51. Quæ Præsidis munia. §. 52. Quo ordine conventus peragatur. §. 53. Legatus Regius. Legati duo, alter ordinarius, extraordinarius alter. Extraordinarius sine ordinario. Duo ordinarii, ex quibus unus pro Legato habitus. Legatus simul Nuntius terrestris. Legatus, cujus nomen in Regiis litteris & mandato non legebatur. §. 54. Quando Legatus audiendus. Auditur interdum serius. Ob ejus absentiam conventus initium dilatum. §. 55. A quibus Legatus in Ordinum consessum deducatur & in hospitium reducatur. §. 56. Legatus litteras & mandatum Regium exhibet. Legatus sine mandato. §. 57. De legatione Consiliarii censent, absentibus Nuntiis

tiis terrestribus, qui illorum sententiis auditores interesse, frustra conati sunt. Civitates antea inter se sua mandata conferunt. §. 58. Marschalci Nuntiorum electio. Marschalcus olim orator dictus. Quis ante Marschalci electionem Nuntiorum conclavi præsit. Qua occasione, lis inter Ensiferum & Vexilliferos Prussiae. Marschalcum ex singulis palatinatibus per vices eligi. Quod non semper factum. §. 59. Quid a Marschalcatus candidato exigatur, & quid ejus electionem difficilem reddat. Marschalci munia, quæ toto conventu exercenda. Abeunti ante conventus finem alius sufficitur. Manet Marschalcus in conventu prorogato. Erga Marschalcum reverentia. Honorarium ipsi decretum, aut promissum. §. 60. Quomodo & qua lingua Consiliarii censeant. §. 61. Cura ut priscus in censendo mos conservetur. §. 62. Nuntiorum consultatio in suo conclavi, qua finita, ambo conclavia jungi. Litterarum ad conventum datarum lectio. Consiliarios & Nuntios inter se consilia conferre, nihilque nisi omnium consensu decerni. §. 63. Quæ ab Ordinibus decreta litteris mandari. Scripta varia illorum nomine publicata. Laudum & laudare vocabula. §. 64. Quando Legatus Regius dimittatur. Donum pro eo interdum decretum aut promissum. Finis conventus. §. 65. Acta publica describi.

Quot illorum exempla parari debeant. Provinciæ tabularium Thoruni, quod exustum instaurari debuit. §. 66. Actis publicis sigillum Prussiæ imprimitur. De sigillo & insigni Prussiæ. In cujus custodia sigillum. Pro sigillo provinciæ, annuli privatorum. Quando sigillo uti liceat. Quibus scriptis imprimatur. In conventus mittitur. Quando non missum, pro illo privati annuli adhibiti. Ubi scriptis imprimatur. Usus ejus ante conventus initium. Sigilli theca. Qui dies actis publicis adscribatur. §. 67. Spatium conventibus statutum. Conventus longissimus & brevissimus. §. 68. Priscis temporibus conventus ruptos non esse. Quomodo jam rumpantur. Rupti a pluribus & ab uno. Num præter Nuntios, etiam Nobilis quicunque conventum queat rumpere. Num qui nullas in Prussia possessiones habet. Interdum qui conventum rumpere conati, male habiti. Conventus peractus postea irritus declaratus. An valeat intercessio Marschalco nondum electo. Num per intercessionem statim conventus rumpatur. Quid sit activitatem sistere, quid restituere. Intercessio scripto repetita. Quomodo conventu rupto Legatus Regius dimittatur. Manifestatio conventu rupto. §. 69. Conventus sæpe prorogatos esse, salva Regis approbatione. De loco ubi conventus continuandus, quem novi particulares non præcedunt. Legatus

gatus Regius in conventu continuato. Absente Marschalco eligendus alius. Prorogati conventus rupti nec non iterum prorogati. Conventus prorogare vetitum. Ex quo tempore non prorogatus. §. 70. Conventus antecomitialis, ubi mandatum pro Nuntiis comitia adituris scribitur. Ex conventibus particularibus, Nuntii ad comitia non mittendi, qui etiam ibidem auctoritate destituuntur. §. 71. Ubi Nuntii designentur & quales esse debeant. Num qui non indigenæ, inter Nuntios recipiendi. Nuntiorum numerus olim minor, jam major. Quo ordine illorum nomina scribantur, & quem locum habeat Marschalci nomen. Posse etiam Succamerarios in Nuntiorum numero esse. Quod Nuntiorum ex Prussia numerus, Polonis visus nimius. Quibusdam ex Nuntiis viaticum olim præbitum publice. Ad quid & quomodo Nuntii obligentur. §. 72. Conventus postcomitialis num relationum dicendus. Acta in comitiis, sed non omnia, in postcomitiali conventu exponi, illisque contradici quæ adversus Prussos decreta. Nova tributa decerni & priorum rationes reddi. Postcomitialium conventuum origo & ex quo tempore nulli habiti. §. 73. Postcomitiales & antecomitiales conventus interdum simul habiti. Exemplum sub Vladislao IV. §. 74. Licere Regi, præter antecomitiales & postcomitiales conventus,

ventus, Pruſſis etiam alios indicere. Quod exemplis probatur. §. 75. In comitiis Pruſſi cum Regni Ordinibus conſultant, quo tamen civitates majores abſtinuerunt. Privata ibidem Pruſſorum conſilia, quique ſoli Regem adeunt. §. 76. Num Regni conſtitutiones Pruſſos, ſine legitimo ipſorum conſenſu, obligent. Pruſſorum de hac re teſtimonia. §. 77. Poſſe conſtitutiones Regni pariter ad Pruſſos pertinere, ſi illorum conſenſus acceſſerit. Conſentiendi facultatem eſſe neceſſariam. Publicæ contradictiones, ſi quid in comitiis in Pruſſos, ſine ipſorum conſenſu ſancitum. Jus contradicendi aſſertum. Scribendis conſtitutionibus unum ex Pruſſis adhibendum eſſe, fruſtra poſtulatum Ne quid contra Pruſſorum mentem conſtitutionibus inſeratur. §. 78 De iis, qui non Conſiliarii, dignitates & publica munia gerunt. Abbates eorumque electio. Abbati contradictum, quod neque nobilis neque indigena. Abbates non Conſiliarii, conſiliis adhibiti. Abbas Nuntius terreſtris. Abbates in conventibus generalibus hoſpites. §. 79. Theſaurarius Pruſſiæ. Cur hodie publicam pecuniam non recipiat & expendat. Ejus reditus. Poſſe eum ſimul Conſiliarium eſſe. De Notario theſauri ejusque ſalario. §. 80. Pruſſiæ Enſifer. Enſiferi olim in palatinatibus. De priore loco inter Enſiferum & Vexilliferos lis. §. 81.

§. 81. Vexilliferi in Pruſſia & eorum antiquitas. Olim tres, jam quatuor. Illorum munus. §. 82. Judices terreſtres a quo tempore repetendi. Illorum numerus, electio & jusjurandum Quales judices eligendi. §. 83. Judicum terreſtrium Aſſeſſores, quorum in Culmenſi palatinatu ex civitate Thorunenſi duo. Lis de priore inter Aſſeſſores & Notarios loco. §. 84. Notarii terreſtres. §. 85. Capitanei & Tenutarii. Oeconomi. §. 86. Nihil de Pruſſis ſine ipſorum conſenſu decerni poſſe. §. 87. Quid in bella extra Pruſſiam geſta Pruſſi contulerint. Militum hoſpitia & per Pruſſiam tranſitus. Quomodo milites ſcribendi. Locati in Pruſſia milites. §. 87. Pruſſos Polonis nonnunquam milite ſubveniſſe. Pro his collata pecunia. Num Pruſſi una cum Polonis in comitiis pecuniam decernere debeant. Tributa a Pruſſis in conventibus ſuis decernenda. Irrogata Pruſſis in comitiis tributa, ab illis non probata & exigi vetita. Tributi a tribus Conſiliariis impoſiti exemplum. §. 89. Tributa in comitiis Regni decreta ad Pruſſos non pertinere, nec Pruſſis licere ibidem in tributa conſentire. §. 90. Tributorum genera. Inducta pecunia agraria. Agrariæ plures. De jugerum numero, ex quibus agrariæ. Tariffa. Tributum eorum, qui in vicis habitantes, agros non colunt. Tributorum exactores. Illorum lauda. §. 91.

§. 91. Accisæ polentariæ civitatum tributum. Illarum collatio cum agrariis. Ingens & insolitus accisarum numerus. §. 92. Summa ex singulis agrariis. Quantum ex accisis provenerit, incertum. §. 93. Alia præter agrarias & accisas tributorum genera. §. 94. Prussi sua & Polonorum tributa æquari noluerunt. Frustra queri de portione, ad Polonorum tributa a Prussis conferenda. §. 95. Tributorum tempus & præstandi modus. Pecunia in tributa mutua sumta. §. 96. Tributa ex variis causis. §. 97. Prussiæ Thesaurarius tributa recipiebat, ac illorum rationes Ordinibus reddebat. Rationes non redditæ. Plus a Thesaurario erogatum quam receptum. Rationes quomodo exceptæ & Thesaurarius liber declaratus. Thesaurario defuncto, ab hæredibus rationes redditæ. Non redditarum ab hæredibus exemplum. Prussiæ Thesaurarium Regni Thesaurario & tribunali Radomiensi non subjectum, ac vetera ejus jura asserta esse. §. 98. Pro superioribus tributis semestris pensio instituta est. De qua Prussi frustra questi. Quomodo exigatur ac præstetur. Quid ex ea pro thesauro Prussiæ servetur. §. 99. Immunitas a vectigalibus. Vectigalia in Prussia instituta & sublata. Vectigal maritimum in portu Gedanensi tentatum. Vectigalia nova in Polonia & Litvania, ac de iis Prussorum querelæ. Ad Dubaviam

Dubaviam & Fordanum vectigalia. §. 100. Prussiæ Nobilitatem ad expeditionem extra provinciam suam non obligari. Jura pro hac immunitate. Expeditio intra Prussiæ fines & ante expeditionem Nobilitatis lustratio. Lustrationes olim, quando nulla suscipienda esset expeditio. Quæ intra Prussiam ultima adhuc expeditio. §. 101. Quando de pace agendum, Prussos in consilium adhiberi. Prussi inter Legatos de pace & eos qui pro Legatis mandata scribunt. Pax Olivensis. Pacta Velaviensia & Brombergensia. Controversiæ ex pactis illis ortæ. §. 102. Prussorum jus indigenatus, unde repetendum & in quo consistat. §. 103. Integritati illius juris prospectum. Regum confirmationes. Regni Constitutiones. Juris illius mentio in confirmatione jurium Regni generali. Nec non in pactis conventis. §. 104. Jus indigenatus simul Nobilibus & civibus servire. Quod cum sibi solis vindicare conati Nobiles, civitates contradixisse. Qualis mentio indigenatus in recentioribus Regum confirmationibus fiat. Quid usu obtineat. §. 105. Episcopatus indigenis conferendos esse. Quid speciatim de Varmiensi episcopatu pacto constitutum. Episcopatus tamen plerumque non indigenis contingere. §. 106. Abbates & Canonici sint indigenæ. Quid de canonicatibus Varmiensibus, Reges Michael & Joannes

nes III. præceperint. Prussorum postulatio. §. 107. Dignitates sæculares indigenis, qui simul possessiones habeant, conferri debere. Idem de bonis Regiis intelligendum esse. Quid de œconomiis postulatum. §. 108. Jus indigenatus temeratum sæpe, quod Prussi fortiter tuiti sunt. Pro vacuis habenda, quæ non indigenis collata. Quid propter bona Regia Thesaurario mandatum. Privilegia de indigenatu in comitia allata. Legationes pro indigenatu. §. 109. Quomodo iis, qui indigenæ non sunt, indigenatus conferendus. Omnium consensu opus est. Conferri vel voce vel scripto. Rex Joannes III. Prussiæ indigena. Indigenatum interregni tempore non dari, eundemque ad sobolem, non ad alios consanguineos transmitti. Quid novi indigenæ promittant. Indigenatus in comitiis frustra collati exemplum. §. 110. Nobilibus exteris bona terrestria acquirere haud licet. Jus civitatum civiumque indigenarum. Nobiles indigenas posse etiam in civitatibus sibi parare bona. Civitatum civiumque jus possidendi bona terrestria assertum. §. 111. Jus monetam cudendi, quod olim Rex & majores civitates, postea civitates solæ exercuerunt. Moneta Prussica a Polona diversa, deinde utraque æquata. §. 112. Consultationes de moneta adhibitis Prussis, præsertim civitatibus Prussiæ majoribus. Non obligari Prussos,

sos, si quid in re monetali sine ipsorum consensu decernatur. Pecunia Polona in Prussia tum prohibita, tum infra suum pretium redacta. Florenorum bonæ monetæ origo. Ne infra justum receptumque valorem pecunia cudatur. §. 113. Ex qua causa officinæ monetales clausæ sint. Colloquium de meliore moneta cum vicinis instituendum. Quid de æquanda cum exteris moneta, Prussi senserint. Clausas adhuc manere officinas, licet aperiri debuerint. §. 114. De legibus privatorum, jure Culmensi, Lubecensi, Polonico. Juris Culmensis correctiones variæ, quarum nulla ab Ordinibus approbata, ut Regi exhiberi potuerit. Novissima juris Culmensis correcti editio. Jus Culmense vetus. §. 115. De jure Nobilitatis terrestri. Quod in comitiis & a Rege seorsum confirmatum est. Prima ejus editio. §. 116. Judicia privatorum. Provocatio Nobilitatis ad Regni tribunal, a cujus jurisdictione civitates immunes sunt, & judicium assessoriale appellant. Provocatio ab assessoriali a relationum judicium. Causæ criminales in civitatibus. §. 117. Judices extraordinarii seu Commissarii, quando dandi. Commissiones haud legitimæ declarentur irritæ. Commissarii sint indigenæ. §. 118. Jus dissidentium in exercenda religione. Juris origo. Quo Nobilitas & civitates utantur. Quid pro civitatibus

vitatibus pace Olivensi sancitum. Ad quam Prussiæ Ordines provocarunt. §. 119. Quid novissimo interregno Nuntiis. ex Prussia pro dissidentibus mandatum. Num quæ per confœderationem generalem adversus Dissidentes sancita, ad Prussos pertineant. §. 120. Arianos, cum pro Dissidentibus non habeantur, Prussia pulsos esse. De Quakeris, Mennonistis & Pietistis. Judæi num tolerentur. §. 121. Quod non integra Prussia in ditione Regis Poloniæ manserit. Butaviensis & Lauenburgensis tractus, Ducibus Pomeraniæ, postea Electori Brandenburgico, traditi. Elbinga Brandenburgico Electori promissa, a quo occupata & reddita. Quomodo Elbingensis ager in potestatem Regis Prussiæ venerit. Cura, ut pecunia soluta, ager ille pignore eximatur.

§. 1.

§. 1.

Vetus Prussiæ regimen, quale ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM usque viguit, descripsi olim; descripsi non minus *hodiernam Reipublicæ Prutenæ faciem*, qua exponuntur, quæ tum SIGISMUNDI AUGUSTI, tum sequens ætas, aut ex priscis mutavit, aut induxit nova, quæque in præsens sæculum obtinent. Posteriorem hunc libellum ita retractavi, ut jam sub alio titulo prodeat auctior.

Prussiæ vetus & hodiernum regimen.

§. 2.

Habebat sua jura Prussia, cum sponte sub Regis Poloniæ CASIMIRI III. imperium concederet, quæ idem Rex confirmavit & novis auxit, cum Prussiam in ditionem reciperet & Regno suo jungeret: quod *privilegium incorporationis*, ut vulgo appellatur, rectius *deditionis pactum*, docet. Voluit nonnulla mutare SIGISMUNDUS AUGUSTUS, CASIMIRI III. nepos, Prussis communionem

Unde ejus jura, horumque in nonnullis mutatio.

nem consiliorum cum Polonis, & observantiam eorum, quæ in Regni comitiis sancirentur, lato a. 1569. decreto, injungens. Cui Prussi publicis litteris contradixerunt, quas una cum decreto, historia nostra Prussica T. II. inter *documenta* p. 194 - 200 exhibet.

§. 3.

Publicum Prussorum jus. Manet in hunc diem Prussis suum regimen, in multis ab eo, quod in Polonia obtinet diversum, in nonnullis cum eo conveniens, quia Prussi, cum suas habeant leges, ad quas regantur, aliquas ex Polonorum admiserint, ut Prussorum jus publicum apte dici queat, ex suis & Polonis legibus compositum & mixtum.

§. 4.

Eligunt Prussi cum Polonis Regem ejusque inaugurationi adsunt. Idem qui Polonis, simul Prussis Rex imperat, & quidem ab anno 1454, quo Prussi se CASIMIRO III. subjecerunt. Rex utrique genti communis, ab utraque gente eligitur, quod jus memoratus CASIMIRUS, Prussis in citato antea *deditionis pacto*, seu incorporationis privilegio largitus, qui eos simul adesse voluit, quando novus Princeps regiis insignibus condecoraretur. Cum vero Regni electio peragi nequeat, nisi interregno, de hoc prius memorandum, quam exponatur, quid a Prussis in novi Regis electione fiat.

§. 5.

§. 5.

Jus indicendi conventus generales interregni tempore. Quando Rex regnare desinit, interregnum sequitur. Interregnum, Regni Primas, qui est Archiepiscopus Gnesnensis, edicto promulgat, qui simul, ut Polonis Litvanisque, Prussis generalem ante comitia convocationis conventum indicit, opus tamen est, ut diem conventus, Varmiensis Episcopus, tanquam provinciæ nostræ Præses, probet, & Ordines seorsum convocet, qui etiam non ad Primatis, sed ad Præsidis sui litteras confluunt: si modo Varmiensis Episcopus se jam provinciæ jurejurando obstrinxerit: quando enim nondum juravit, conventus interregni tempore indicere, aut alia Præsidis munia exercere nequit. Quare post mortem Regis STEPHANI, pro Varmiensi Episcopo Cromero, qui provinciæ non juraverat, Culmensis Præsul, Ordines ad conventum vocavit *: quod a Palatino Culmensi, aut eo, qui inter Consiliarios juratos loco prior est, fieret, si Episcopus Culmensis & qui hunc proxime sequuntur, non jurassent. Interregno post SIGISMUNDUM AUGUSTUM, ob Episcopi Varmiensis Romæ absentiam, & quod Culmensis Episcopatus suo Præsule vacuus erat, Ordines Culmensis Palatinus accivit **. Jus hoc indicendi, & pri-

 mum

mum & reliquos interregni tempore conventus, a. 1733. novo laudo firmatum (A) eſt, ut tamen Conſiliarii cæteri antea conſulantur: id quod antiquitus obtinuit.

* Hiſtor. Pruſſ. T. IV. p. 1. 11.

** Hiſtor. Pruſſ. T. III. p. 2.

§. 6.

Quæ in conventu ante comitia convocationis fiant.

In conventu, qui convocationis comitia præcedit, paci domeſticæ & externæ proſpicitur; judicia per interregnum ordinantur; tributa, ſi pecunia opus, decernuntur, & mandata pro Nuntiis, convocationis comitia adituris, ſcribuntur. Ne autem per diſſenſiones inteſtina tranquillitas turbetur, jungunt Ordines pro illa, nec non libera Regis electione ac tuendis juribus, animos, idque per *laudum, unio animorum* appellatum, quod ſeorſum, primum poſt JOANNIS CASIMIRI abdicationem prodiit, & ſequentibus interregnis repetitum eſt. Judicia autem ideo inſtituenda ſunt, quod ordinaria, nempe caſtrenſia & terreſtria, interregni tempore ceſſant. Ubi, quando, a quibus & in quas cauſas, judicia illa exercenda, ipſæ judiciorum *ordinationes*, ſingulis interregnis publicatæ, docent. Neque ſilentio tranſeundum eſt, pacem inter *disſidentes* de religione chriſtiana, in his judiciorum ordinationibus ſimul firmari. Civitates, quibus coram caſtrenſibus

ſibus & terreſtribus judiciis forum non eſt, a judiciis interregni eximuntur, ſervantque ſua judicia interregno, quæ Rege vivente colunt. In mandatis vero ad comitia, Nuntiis in primis injungitur, ut jura provinciæ ſuæ ſibi habeant commendatisſima, ſi quod iis adverſum tentetur, avertant, Ordines Regni, ut a futuro Rege quæ gravent corrigantur, compellent, ac alia pro tempore & loco peragant.

Mandatorum, quibus ad comitia illa mittuntur Nuntii, ſumma.

§. 7.

Ad comitia convocationis Pruſſos vocari.

Prima convocationis comitia, anno 1573. in Polonia habita ſunt, quare illorum in *privilegio incorporationis*, utpote vetuſtiori, mentio fieri non potuit, ubi tantum Regis electio & inauguratio memorantur. Comitiis illis interfuerunt Prusſi, a duobus Regni Senatoribus, Breſtenſi & Junivladislavienſi Palatinis, invitati. Poſt HENRICI ex Polonia abitum, comitiis convocationis conſulto abſtinuerunt, quod de ejus reditu ſpes ſupereſſet. Contra, cum mortuo STEPHANO, Prusſi litteris Primatis ad comitia convocationis acciti non eſſent, id ægre ferentes, jus ſuum aſſerebant, ſuisque, quos ultro ad comitia mittebant, mandabant, rogare, ut Ordinum Pruſſiæ poſthac ea haberetur ratio, quæ reliquarum provinciarum, quæ ad comitia illa, ut publicis conſiliis intereſſent, vocarentur *. Neque ex

ex illo tempore omiserunt Primates, suis litteris Prussos ad comitia convocationis arcessere. Adeunt ergo Prussi convocationis comitia, ut comitia Regni cætera, eodem modo, quo in reliquis consultant, ac iis, quæ ibidem sanciuntur, subscribunt, salvis tamen suis juribus, quæ non solum generatim, sed etiam quædam ex iis speciatim nominant.

* Histor. Pruss. T. IV, Doc. p. 4.

§. 8.

Irritum haberi, si quid in convocationis comitiis adversus Prussos sancitum.

Quando in comitiis convocationis, aliquid ab Ordinibus Regni in Prussos, citra horum consensum decernitur, ipsi non tantum voce, verum etiam scripto, coram *actis castrensibus* aut civilibus intercedunt, hancque suam intercessionem in proximo conventu generali repetunt, & publico laudo firmant: quod etiam, fit, ubi in iisdem comitiis, Prussis, aut silentibus, aut consentientibus, aliquid sancitum, quod commodis juribusque Prussiæ adversetur.

Conventus post convocationis comitia.

In postcomitiali illo conventu, simul Nuntii ad electionis comitia designantur, & pro iis provinciæ mandatum scribitur, neutrumque fieri potest, conventu aut rupto, aut non habito.

Confœderationes ante comitia electionis institutæ, civitatibus intercedentibus.

Interregno post JOANNEM III. qui ante electionis comitia, ad conventum Graudentum venerant, fœdus seu *confœderationem*, ut vocatur, inibant, quia

quia conventus ne inchoari quidem poterat, simul novo conventui diem constituebant, quo rupto, alterum placebat fœdus, tertiusque post comitia convocationis conventus, hocque irrito, tertium sequebatur fœdus, cujus auctoritate, generalis expeditionis titulo, ad Strasburgum seu Brodnizam, Consiliarii aliquot & nobilitas confluebant, qui firmato fœdere suo, & Nuntios ad electionis comitia nominabant, & mandatum pro iis scribi curabant, cui sigillum suum Palatinus Culmensis imprimebat. Non fuerunt fœderum horum, utpote antea non usitatorum, participes civitates majores, sed singulis singulas opponebant *manifestationes* judiciales *, declarantes simul: *si & in quantum in electionis comitiis, ex privato illo mandato, in harum terrarum & in primis civitatum injuriam, a quopiam aliquid actum, gestum aut obtentum fuerit, omne illud, velut contra usum & consuetudinem antiquissimam, in his terris a sæculis sacrosancte celebratam, irritum esse, ideoque terras & civitates Prussiæ haud afficere, aut obligare, nec etiam futuris in perpetuum temporibus exemplo esse, debere aut posse.* Novum tamen ultimo Interregno a. 1733. fœderis exemplum secutum est, cum ruptis palatinatuum Culmensis & Pomeraniæ conventi-

 bus

bus particularibus, generalis ante electionis comitia celebrari nequiret, antiquum in conventibus consultandi modum, civitatibus majoribus *manifestatione* coram judicio civili Graudentinensi tuentibus.

* Histor. Pruss. T. IX. p. 21 - 24.

§. 9.

Prussi comitia electionis Regiæ adeunt.

Ad comitia electionis, ut ad convocationis, mittuntur ex nobilitate Nuntii, numero pariter incerto, minore olim, postea majore, quod de omnibus Regni comitiis dicendum est, ut infra memorabitur, quando de comitiis sermo erit. Antiquis temporibus non minus viaticum publice decretum est, erogataque in eos, qui ad electionem MICHAELIS profecti, florenorum centum & triginta sex millia: quod ultimum publicæ liberalitatis fuit exemplum, cum comitia electionis sequentium Regum, suis sumtibus Nuntii adierint. Præter Nuntios, cuivis Nobili, non quidem comitiis electionis, ipsi tamen electioni Regiæ, ad morem Polonorum, interesse licet. Ex Consiliariis, Episcopi, Palatini, Castellani, qui simul Senatores Regni sunt, ad comitia electionis se conferunt, Succamerarii vero, qui Consiliarii Prussiæ, sed non Senatores Regni, haud aliter, nisi in numero Nuntiorum fuerint. Civitates majores, qui partem Prussici Consilii con-

stituunt, ut omnibus, ita & electionis comitiis abstinent, ut tamen adsint, a Primate, & quidem singulæ seorsum, invitantur: quod ex more veteri superest, quo una cum reliquis Prussis, civitates majores in Regem suum contulerunt suffragium, qui ne plane obliteretur, singulis interregnis, in hunc usque diem, a Primate ad electionem vocatæ sunt. Quod ut fiat, Nuntiis ad comitia convocationis commendari solet. Aliud superest vetusti juris eligendi, recentiori ætate vestigium, cum Episcopus Varmiensis, tanquam Prussiæ Præses, diplomati electionis JOANNIS III. nomine civitatum majorum subscripserit, quod electo JOANNE CASIMIRO, non civitatum majorum sigillatim, sed civitatum generatim factum erat. Quamvis ergo ipsæ civitates majores, comitia electionis jam non adeant, quid tamen in suam, ut & civitatum minorum rem fieri velint, mandato Nuntiorum inseri curant.

Ad quæ civitates majores seorsum vocantur.

§. 10.

Quid in electionis comitiis, præter electionem Regiam, curandum.

Non enim ob solam electionem Regiam, Prussi ad electionis comitia proficiscuntur, sed simul ut vigilent, ne quid quod juribus suis adversum decernatur, annitanturque, ut quæ provinciæ suæ molesta, vel in novi Regis pactis conventis, vel alio modo corrigantur, non ne-

glectis

glectis iis, quæ commodum afferre queant. Pactis conventis scribendis, etiam Prussi adhibentur, daturque iis locus curandi, quæ suæ Reipublicæ conveniant: unde factum, ut nonnulla, quæ ad Prussiam solam pertinent, in pactis conventis legantur. Ante JOANNIS III. electionem, placuit Regni Ordinibus litteris consignari, quæ extra legum orbitam admissa essent, ac nominati, qui operam suam jungerent, ex palatinatibus Prussiæ singuli, verum festinata Regis electione, nihil in rem hanc præstari potuit *.

* Hist. Pruss. VIII. 106.

§. 11.

Electio Regum quomodo a Prussis peracta.

In Regem eligendum, totius provinciæ nomine, unum solebat conferri suffragium, idque primus, qui ex Prussia aderat, Consiliarius, alta voce declarabat: quod exempla interregnorum post HENRICUM, STEPHANUM, SIGISMUNDUM III. & VLADISLAUM IV. docent. In electione MICHAELIS, Prussi, ob dissensionem de candidatis, in campo duobus locis consultabant, & qui Episcopo Culmensi juncti, priores, post hos, qui cum Varmiensi Episcopo secesserant, MICHAELEM nominabant *. JOANNEM III. Prussi intra comitium, sub tecto Senatorio, Szopa vulgo, Episcopo Varmiensi & sententiam rogante & primo censente, eligebant, horumque suffragium Polonis, cum ex campo in comitium rediissent, declarabatur **. Electionem AUGUSTI II. & AUGUSTI III. Prussi, ad Polonorum Litvanorumque exemplum, de candidatis, ut illi discordantes, peregerunt: qualis dissensio post SIGISMUNDUM AUGUSTUM fuerat, aliis ERNESTUM Austriæ Archiducem, aliis HENRICUM Ducem Andegavensem, postea ab omnibus prælatum, Regem volentibus ***.

* Histor. Pruss. VIII. 15.

** Histor. Pr. VIII. 109 -- 111.

*** Histor. Pr. III. 53.

§. 12.

De die conventus post Regis electionem.

Reduces ab electione Regia Prussi, generalem conventum celebrant, cui dies in comitiis electionis statuitur, quem tamen Varmiensis Episcopus, ex sententia præcipuorum Consiliariorum mutare, & alium edicere potest. VLADISLAO IV. electo, Ordines, non vocati, ultro ad diem in comitiis decretum, Graudentum veniebant. Post MICHAELIS electionem, Prussorum conventui vicesima Augusti in comitiis decreta, sed usus suo jure Varmiensis Episcopus, tricesimam illius mensis diem prætulit. In comitiis electionis JOANNIS III. Prussis pro suo conventu, vicesima octava Junii placuerat, qua

qua in Regni conſtitutione in tertiam Julii mutata, Varmienſis Epiſcopus priorem diem, mox alteris litteris tertiam Julii probabat, denique ex conſilio Palatini Pomeraniæ aliorumque, in decimam ſextam Julii conventum differebat *.

* Hiſt. Pr. VI. 18. VII. 36. VIII. 17. 117.

§. 13.

Quid in ejusmodi conventu fiat.

In hunc conventum, electi Reges, aut ſolas litteras, aut ſimul legatos ſuos mittere ſolent, priusque a STEPHANO & VLADISLAO IV; poſterius a SIGISMUNDO III. JOANNE CASIMIRO & JOANNE III. factum eſt. Tum Ordines in primis expendunt, quæ in electionis comitiis acta, num ibidem jurium ſuorum ratio habita, an vero quid, quod iis adverſetur conſtitutum pactis conventisque inſertum ſit; & ſi poſterius, indignantur, ac *laudo* ſuo contradicunt. Deinde pro iis, qui ad inaugurationem Regiam, & ad comitia poſt inaugurationem profecturi, mandatum ſcribitur, ut novo Regi Regnum gratulentur, jura ſua Ipſi commendent, horumque cauſa efficiant, quod in convocationis electionisque comitiis effici nequiverat: quibus & alia adduntur. In ejusmodi conventu a. 1573. a Regni Theſaurario compellati Pruſſi, ut in HENRICI inaugurationem atque SIGISMUNDI AUGUSTI exſequias pecuniam conferrent: nec non VLADISLAUS IV. eos monuit, ſumtibus funeris patris & novercæ ſubvenirent: quod abnuentes, contraria priorum temporum conſuetudine ſe tutati ſunt *. Neque poſtea, ſive in Regum exſequias, ſive in eorum inaugurationem, a Pruſſis aliquid exactum eſt.

Pruſſi in Regum exſequias & inaugurationem nihil contulerunt, quamvis eo nomine olim compellati.

* Hiſt. Pruſſ. III. 68. 69. VI. 18. 19.

§. 14.

Exempla conventuum ante Regis inaugurationem non habitorum.

Quamvis uſu receptum, ut, ſi non plures, unus ſaltem inter Regis electionem & inaugurationem intercedat generalis conventus, poteſt tamen contingere, ut ejus copia non detur, uti Regibus AUGUSTO II. & AUGUSTO III. electis, ob inteſtinas diſſenſiones data non eſt: ex qua cauſa, Regum horum inaugurationi, Pruſſiæ nomine nemo interfuit. Idem de STEPHANI inauguratione dicendum, quam tamen non unus, ſed plures conventus præceſſerant; & erat abſentiæ cauſa, quod Pruſſi alium, quam STEPHANUM, Regem elegerant. SIGISMUNDI III. ſimul a Pruſſis electi, inauguratione, ex aliis cauſis abſtinuerunt. Cæterum vocantur ad inaugurationem Pruſſi, Regis litteris, quando dies incerta, ubi vero dies in electionis comitiis conſtituta eſt, neque mutatur, ad inaugurationem, non invitati ultro accedunt.

Inaugurationes nonnunquam ſine Pruſſis peractæ.

Prussi ad inaugurationem a Rege invitati. dunt. JOANNES III. Prussos invitans, hunc honorum seorsum singulis civitatibus majoribus habuit: quas olim inaugurationi Regiæ adfuisse, in comitiis post inaugurationem cum reliquis ex Prussia, de provinciæ negotiis seorsum consultasse, nec minus cum universæ *Civitatum majorum præsentia.* Prussiæ, tum suas res apud novum Regem curasse, constat: quod a solis Gedanensibus, JOANNIS III. inauguratione peracta, factum est.

§. 15.

Reges, dum inaugurantur, in leges jurant. Quid Prussi pro suis postulaverint obtinuerintque. Dum Rex insignibus Regni condecoratur, in leges jurat, quod cum a SIGISMUNDO AUGUSTO, ob minorem ætatem, aliquot annis post inaugurationem, sine legum Prussicarum mentione fieret, Prussi Regem ex præstito jurejurando ad servanda sua jura haud obstringi existimantes, ut in suas leges seorsum juraret, postulabant, acquiescebantque, cum Rex a. 1549. litteris declararet: *suam intentionem & mentem tunc cum jurasset fuisse, nec alio sensu a se intellectum esse juramentum, quam ut ipsum juramentum, etiam ad terras Prussiæ pertineret, ipsasque terras cum suis subditis in illo esse comprehensas* *. HENRICI jusjurandum *in jura, libertates, immunitates, privilegia publica, & privata, juri communi utriusque gentis*

tis (Polonæ & Litvanæ), *& libertatibus non contraria*, advertit Prussorum animos, per hanc appendicem, sua jura & privilegia, quasi essent utriusque gentis juri communi contraria, in discrimen adduci credentium, ut, cum peculiare in suas leges jusjurandum desperassent, explicationem ejus, qua motus ille eximeretur scrupulus, orarent: quam quidem non ab HENRICO, sed ab ejus Successore, STEPHANO, qui ad HENRICI formulam juraverat, obtinebant, & quidem iisdem verbis, quibus SIGISMUNDUS AUGUSTUS olim usus fuerat, cum antea voce, deinde litteris asseverasset: *juramento quod Cracoviæ fecisset, Terris quoque Prussiæ ac eorum hominibus cujuscunque status & conditionis, Se adstringi, nec juribus, immunitatibus, constitutionibus, consvetudinibusque eorum quicquam indebite derogatum, quin potius eadem legitima illorum jura, salva, integra & illibata conservata velle* **. Jurarunt Reges sequentes ad eandem formulam, ad quam HENRICUS & STEPHANUS, sed explicatio, qualem Prussi pro suis juribus a STEPHANO & ante a SIGISMUNDO AUGUSTO obtinuerant, data non est. §. 16.

* Jura municipalia Terr. Pruss. in fine. tit. Declaratio juramenti. Hist. Pr. T. II. Doc. p. 10.

** Histor. Pruss. Doc. T. III. p. 68.

§. 16.

Confirmationes jurium Prusſicorum Regiæ.

Rex ſimulac inauguratus eſt, jura confirmat, proditque confirmatio jurium generalis, ac Regni conſtitutionibus inſeritur: quæ, non ſolum Poloniæ & Litvaniæ, ſed pariter Prusſiæ ac provinciis reliquis, ſervit, fecitque jam STEPHANUS mentionem terrarum Regno Poloniæ ac magno Ducatui Litvaniæ conjunctarum, libertatumque per Magiſtros Prusſiæ conceſſarum: Cujus exemplum Serenisſimi Succeſſores, in hunc diem ſecuti ſunt omnes. Ex his SIGISMUNDUS III. immunitates Prusſiæ diſtincte nominavit, idemque a cæteris, qui poſt Illum regnarunt, factum eſt. Addidit JOANNES CASIMIRUS, Se jura terrarum Prusſiæ, ſpeciatim vero *indigenatus*, in omnibus manutenturum & in ſuo robore conſervaturum eſſe: quod ex hoc tempore a ſingulis Regibus repetitum eſt. Præter citatas confirmationes jurium generales, ſunt jurium Prusſicorum confirmationes ſingulares, ut CASIMIRI III. JOANNIS ALBERTI, SIGISMUNDI I. quæ in *juribus Terrarum Prusſiæ municipalibus* leguntur. Confirmavit etiam jura SIGISMUNDUS AUGUSTUS, cujus tamen diploma Prusſi ex *Cancellaria* Regni non receperunt, quia forſan mille florenorum pretium, quo redimendum

dum erat, nimium videbatur *. A JOANNE III. pro una, tres Pruſſi obtinuerunt jurium confirmationes, primam ſtatim poſt electionem, alteram poſt inaugurationem & a. 1682. tertiam: in quibus ſingulis ſpeciatim juris indigenatus mentio fit, cujus cauſa tertia confirmatio potiſſimum expetita & impetrata eſt. Inſtar confirmationis erat, cum AUGUSTUS II. a. 1713. per ſuum legatum, in conventu Mariæburgenſi declararet: *Se ſpeciatim jura provinciæ Prutenæ, antiqua privilegia & quasvis immunitates, tam Ordini equeſtri, quam majoribus & minoribus civitatibus legitime conceſſas & præcipue jus avitum indigenatus Prutenici, ſancte ſervaturum & manutenturum.* AUGUSTI III. confirmatio, in qua non poſtrema indigenatus habetur ratio, *in Privilegiis terrarum Pruſſiæ* 1746 editis p. 119 legitur, quibus etiam tres JOANNIS III. confirmationes p. 89 - 97. inſertæ ſunt, quarum alteram & tertiam *documenta* Hiſt. Pruſſ. T. VIII. p. 25 & 31 exhibent.

* Hiſtor. Pruſſ. T. II. p. 25.

§. 17.

Quid in comitiis poſt inaugurationem

Regis inaugurationem comitia excipiunt, in quibus ex Pruſſia præſentes, eodem quo in reliquis comitiis modo, conſultant: quique Regi, quando ſalutandi

nem Pruſſi agant.

tandi datur copia, ſuſceptum Regnum gratulantur, jura ſua commendant, & alia ex mandati præſcripto exponunt.

§. 18.

Conſilium Pruſſicum.

Rex, quem, ut modo dictum, una cum Polonis Litvanisque Pruſſi eligunt, cujusque inaugurationi adſunt, Pruſſiam ſuorum Ordinum conſilio, ad normam legum conſvetudinumque, quas cum Regnum ſuſciperet, confirmavit, regit. Quod ad Ordines, de iis in diſſertatione *de Norma regiminis Pruten. §. 28 & ſeq.* ſuo tempore fuſius a nobis actum eſt, in præſens quædam repetemus, additis, quæ noſtra ætate uſu vigent. Dividuntur Ordines in Conſiliarios & nobilitatem, quæ per ſuos Nuntios repræſentatur, niſi omnis adeſſe malit. Ex Conſiliariis Conſilium Pruſſicum componitur, olim a nobis in alia diſſertatione, *de Conſilio Pruſſico §. 1 - 28* deſcriptum, quam tomo ſexto *hiſtoriæ Pruſſicæ* præpoſuimus. Pertinent autem ad Conſilium, Epiſcopi Varmienſis & Culmenſis; Palatini Culmenſis, Mariæburgenſis & Pomeraniæ; Caſtellani Culmenſis, Elbingenſis & Gedanenſis; Succamerarii Culmenſis, Mariæburgenſes & Pomeraniæ; ac tres civitates, Thorunum, Elbinga, Gedanum: ex quibus Epiſcopi, Palatini & Caſtellani ſimul Senatores Regni dicuntur,

Qui ex Pruſſiæ Conſi-

liariis ſimul Regni Senatores ſint.

tur, poſtquam per decretum Lublinenſe a. 1569 Senatui Regni adſcripti ſunt. Quare iidem, ut Senatores, Regi & Regno jurant, comitia adeunt, in Senatu cenſent, ad aulam reſident, legationes aliaque munia, quæ Senatoribus mandantur, obeunt, in hoc tantum a Senatoribus Regni diverſi, quod ab iis Pruſſiæ negotia & commoda ſeorſum curanda & ad ea peculiari jurejurando obligentur. Præterea, licet Epiſcopis Culmenſibus per leges Polonas ſimul Cancellariatum Regni gerere, quem ex iis Tylicius, Zadzicius, Leſzczynius, Olſzovius, Malachovius, Bocumius, Zaluſcius, geſſerunt. Eandem dignitatem ex Varmienſibus Epiſcopis tres, Wydzga, Radzejovſcius, Zaluſcius, non quidem auctoritate legum, ſed Regum gratia, conſecuti ſunt, proviſumque conſtitutionibus, ne idem in poſterum fiat. Poſſunt tamen, tum ambo Epiſcopi, tum Palatini, Caſtellani & Succamerarii, hanc ſuam dignitatem, cum alia in Polonia mutare, ſufficitque ex præſenti ſæculo nominaſſe, Varmienſem Epiſcopum Potocium, qui Archiepiſcopus Gnesnenſis; Culmenſes Epiſcopos, Grabovſcium & Zaluſcinm, quorum ille Cujavienſis, hic Cracovienſis Epiſcopus; Palatinos Culmenſes Bielinſcium & Czapſcium, ex quibus

Varmienſes & Culmenſes Epiſcopos aliquot, etiam Regni Cancellarios fuiſſe.

Exempla Conſiliariorum, qui ſuam di-

gnitatem cum Polona commutarunt, cum alii, posita dignitate Polona, Prussiæ Consiliarii esse maluerint.

quibus alter Marschalcus curiæ Regni, alter Regni Thesaurarius; Palatinum Mariæburgensem Prebendovium, qui Regni Thesaurarius; Palatinum Pomeraniæ Potocium, qui Palatinus Masoviæ; & Succamerarium Pomeraniæ Potulicium, qui Palatinus Brzestensis in Cujavia evasit. Sæculo decimo sexto, Joannes Dulscius, Regni Thesaurarius creatus, Culmensis Castellanus, dum viveret, mansit. Sunt etiam, qui cum Senatores Regni jam essent, Prussiæ Consiliarii facti. Ut enim taceam, qui Polonum Episcopatum cum Prussico mutarunt, proximo sæculo, Ernestus Denhofius, ex Castellanatu Vilnensi palatinatum Mariæburgensem, Przyjemscius, post castellanatum Lencicienſem, Culmensem, Gninscius, post Braclaviensem, Pomeraniæ palatinatum, & præsenti sæculo Prebendovius, post Livoniæ, Mariæburgensem palatinatum recepit.

§. 19.

De Episcopi Varmiensis a suo Capitulo electione.

Episcopos, Palatinos, Castellanos, Succamerarios Rex creat, & dum creat, simul Prussiæ Consiliarii fiunt, quia munus Consiliarii dignitatibus his inhæret, ita tamen, ut ante jusjurandum provinciæ præstitum exerceri nequeat. Solus Varmiensis Episcopus, non a Rege creatur, sed a Capitulo suo eligitur, quæ tamen

men Capituli electio, veræ electionis quædam imago est, cum non alius eligatur, quam quem Rex Capitulo commendat. Sæculo XV. inter Regem & Capitulum Varmiense de novo Episcopo lis erat, Rege alium nominante, Capitulo eligente alium, cujusmodi controversiæ, ut in posterum occurreretur, electio a Rege SIGISMUNDO I. per privilegium a. 1512. ita circumscripta est: „ ut si vacare Varmiensem Ecclesiam contingat, Capitulum de gremio sui Nuncios ad Regem mittat, obitum sui Episcopi & diem electioni novi Pastoris designatum significaturos, simul indicaturos nomina omnium Prælatorum & Canonicorum Ecclesiæ suæ præsentium & ab Ecclesia absentium, nec non declaraturos pro suo judicio fideliter & vere vitam, mores, dignitatem, genus & omnem conditionem status uniuscujusque: ex quibus Prælatis & Canonicis Rex quatuor pro suo arbitrio nominet, non alios tamen, quam qui sint veri terrarum Prussiæ indigenæ, ac per specialem Nuntium suum, seu litteras clausas significet Capitulo, quos judicaverit ad illius culmen dignitatis & locum in consilio magis idoneos & sibi gratos: Ipsi vero Prælati & Canonici unum ex illis quatuor, quem volue-

Qualis illa electio ex privilegio Sigismundi I.

 „rint,

„ rint, aut judicaverint meliorem & utiliorem, deligere in Episcopum adstricti sint. Ne vero ex longa mora electionis, aliqua difficultas vel impedimentum eveniat, post nuntium de morte Episcopi a Capitulo acceptum, quatuor illos Candidatos, octo dierum ad summum spatio Rex nominet. Quod si Rex filium sive fratrem germanum inter quatuor Candidatos nominare velit, modo sit de gremio Capituli illius ecclesiæ, id in Regis arbitrio & potestate sit, ac si iidem filius vel frater terrarum Prussiæ indigena esset. Cum autem Prælati & Canonici unum ex quatuor nominatis elegerint, novus electus Regi nuntiandus, Isque orandus, ut litteris Regiis Sedi Apostolicæ & Papæ commendetur, quo electionem confirmet, post quam confirmationem, electus Regi juramentum, ad formulam, quæ jam olim cum Episcopo Nicolao convenisset, præstet „ *.

Quomodo hodie peragatur. Nominat ergo Rex, ubi Episcopatus Varmiensis vacuus factus, quatuor ex Capitulo Canonicos, sed nominat, ut simul significet, quem eligi velit, mittitque cum litteris legatum, qui electionem

(B) perfici curet: qua peracta, Capitulum per epistolam ab omnibus Canonicis subscri-

(C) ptam & sigillo Capituli signatam, Papam, ut

ut confirmet, orat. Indigenatus nulla habetur ratio, licet citatum SIGISMUNDI I. privilegium, præter filium ac fratrem Regis, non nisi indigenas inter Candidatos admittat. Quare ab anno 1550 præter hodiernum Celsissimum Præsulem, unus tantum occurrit inter Varmienses Episcopos indigena, Jo. Car. Konopacius, antequam adiret episcopatum, mortuus. Major fuit cura, ut eligendi de gremio Capituli essent. Quare Andreas Chrysostom. Zaluscius, qui fine superioris sæculi Episcopatum obtinuit, multum laboravit, ut Princeps Saxo Zizensis, Javarinensis tunc Episcopus, sibi Varmiensi canonicatu, quem habebat, cederet, ne aditus ad episcopatum præcluderetur **. Hodiernum Celsissimum Principem Episcopum, Adamum Stanisl. Grabovscium, propter gravissimas caussas eligi, Papa per Breve suum præcepit, quamvis canonicatu careret, ne tamen hoc ejus exemplum, *ulli in posterum serviret, aut juribus, privilegiis, indultis, concordiis aliisque concessionibus quibuscunque Capituli Varmiensis, præjudicium aliquod ac detrimentum afferret.*

* Jura municipalia Terr. Pruss. tit. Privilegium Capituli Varmiensis.

** Zalusc. Epist. Histor. famil. T. II. p. 552.

 §. 20.

§. 20.

Ob indigenatum creatorum ab Ordinibus Conſiliariorum exempla.

Quod modo de Epiſcopo Varmienſi & epiſcopatus hujus candidatis dictum, quod eos oporteat eſſe indigenas, id de omnibus Conſiliariis repetendum eſt, cum generalis ſit lex, cunctas dignitates imo & bona Regia, non niſi indigenis conferenda eſſe. Hoc cum aliter fieret, & a Rege Conſiliarii, etiam non indigenæ crearentur, Ordines crediderunt, fore rem ſua providentia dignam, ſi interregni tempore, ante novi Regis electionem, vacua in Conſilio loca indigenis explerent. Factum id duobus interregnis, poſt SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & poſt JOANNEM III. Priore enim Culmenſem Epiſcopum, poſteriore Palatinos Culmenſem & Mariæburgenſem, Caſtellanum Elbingenſem, & Succamerarium Mariæburgenſem declararunt *. Utrumque tamen irritum evaſit, cum HENRICUS & AUGUSTUS II. SIGISMUNDI AUGUSTI & JOANNIS III. Succeſſores, in eorum quos Ordines creaverant locum, alios ſurrogarent.

* Hiſt. Pruſſ. III. 29. IX. 10 & ſeq.

§. 21.

Conſiliariis non indigenis, Ordinum conſenſu opus eſt, ut in Conſilium recipiantur.

Fuerunt vero inter Conſiliarios omni tempore non indigenæ, ex quibus Epiſcoporum Varmienſium modo mentio facta

facta eſt, & inter Culmenſes, ab initio ſuperioris ſæculi in hunc diem quatuordecim occurrunt. Conſiliariorum ſæcularium longe minor eſt numerus; ſunt tamen aliquot, qui non indigenæ. Quando Rex Conſiliarios non indigenas creat, ſi inter Conſiliarios admitti, & munia ſua exercere velint. Cromerus primum Coadjutor, deinde Epiſcopus Varmienſis, quia non indigena, & dictum conſenſum ab Ordinibus obtinere haud potuit, dum vixit, pro Conſiliario habitus non eſt: quod ſuperiore ſæculo, ex eadem cauſa, Nic. Smogulecio, Caſtellano Gedanenſi, accidit. Cum Simonem Rudnicium, Varmienſem Epiſcopum, a. 1606 reliqui Ordines reciperent, totus Pomeraniæ palatinatus contradicebat, cujus conſenſus proximo anno, ſub conditione ſequebatur *. Zaluſcius & Potocius, ille Varmienſis, hic Culmenſis Epiſcopus, bis fruſtra in conventum generalem venerant, donec in tertio a. 1708. inter Conſiliarios admitterentur. Marc. Borovſcius, novus Caſtellanus Gedanenſis, jam ante annos viginti indigenatu donatus, de quo quod non omnibus conſtabat, rupti conventus 1691 cauſa extitit, cui in conventu ſequenti contro-

versia non movebatur, cognito ejus indigenatu iis, qui contradixerant.

* Histor. Pruss. V. 11. 17.

§. 22.

Indigenatus illis tum per laudum, tum solo consensu collatus, qui vicissim, aut litteris aut verbis, curæ sibi fore jura, spoponderunt.

Solent Consiliarii non indigenæ indigenatu donari: quod fit consensu Ordinum in conventu generali per *laudum*, & novi indigenæ se vicissim ad tuenda jura ac sigillatim indigenatus, litteris obstringunt. Ut autem non omnibus per *laudum*, sed quibusdam solo consensu indigenatus collatus est, sic neque omnes litteras illas, *reversales* vulgo appellatas, rediderunt, qui verbis tantum professi sunt, curæ sibi fore jura, non aliter ac si indigenæ nati essent. A. 1682 Casim. Opalinius, Culmensis Episcopus & Franc. Bielinscius, Mariæburgensis Palatinus, per laudum obtinuerunt indigenatum, hique ex Consiliariis primi sunt, quibus indigenatus hoc modo contigit *. Et quod ad litteras *reversales* attinet, non est vetustius exemplum, quam Sim. Rudnicii, Varmiensis Episcopi **. Plura de modo, quo indigenatus confertur, infra §. 109 occurrunt.

* Histor. Pruss. VIII. Docum. p. 33. 34.

** Histor. Pr. V. Doc. p. 10.

§. 23.

Quos ex Consiliariis possessionatos esse oporteat.

Præter indigenatum, ut Palatini, Castellani, Succamerarii in Prussia sint *possessionati*, hoc est, ut habeant possessiones equestres, seu bona *terrestria* exigitur. Quare *laudum* a. 1696, quod novis Consiliariis dignitatis hujus usum, ante dictum provinciæ jusjurandum, interdicit, simul præcipit, ut iidem, „ in „ antecessum vera, firma & reali bono- (D) „ rum terrestrium in his terris possessio„ ne, juxta exigentiam constitutionum „ publicarum, Senatoriam Palatinalem, „ Castellanalem curulem, & Succamera„ riatus dignitatem firment & corrobo„ rent „. Episcoporum ibidem nulla fit mentio, quia in illis indigenatus sufficit.

§. 24.

Consiliarii novi, ante jusjurandum, munia sua exercere nequeunt.

Novis Consiliariis dignitatem hanc suam exercere, aut munia, quæ ex hac dignitate fluunt, obire non licet, nisi prius provinciæ fidem jurejurando obstrinxerint: quod usu perpetuo servatum est. Cum ergo, Palatini præsertim, sibi interdum ante jusjurandum arrogarent, quæ illo præstito demum peragere fas erat, Ordines id fieri *laudo* proximo §. citato vetabant, ut Palatinos, Castellanos & Succamerarios, ante jusjurandum ausuros, quæ post illud recte fierent, dignitate sua & *capitaneatu* palatinatui alias juncto, excidisse declararent, eundem *capitaneatum* a Thesaurario in rem thesauri occupari, & multam sex

ſex millium Ungaricalium, in ſtipendium militum dicto theſauro præſtandam, decernerent. Ad Palatinos etiam ſigillatim pertinebat, quod omnes actus juridici, in *caſtris* ante jusjurandum eorum exerciti, pro non legitimis & irritis habendi eſſent. Epiſcopi ſilentio transmittuntur, ob Epiſcopi Varmienſis contradictionem *, non tamen ideo in iis uſus, *laudo* vetuſtior, ceſſat, ſed ut Conſiliarii reliqui, ita etiam Epiſcopi, ante jusjurandum, conſilio non interſunt, aliisque abſtinent, quæ juratis tantum peragere licet.

Quod etiam de Epiſcopis, qua Conſiliariis, intelligendum eſt.

* Hiſtor. Pruſſ. IX. 8.

§. 25.

Formula ad quam Epiſcopus Varmienſis jurat.

Jurant autem ad unam formulam Conſiliarii omnes, præter ſolum Varmienſem Epiſcopum, qui ut alio loco & modo, ſic & aliis verbis fidem ſuam obſtringit. Cum enim Varmienſis Epiſcopus, Nicolaus de Tungen, ſe Regi CASIMIRO III. ſubmitteret, convenit 1479 jusjurandum, quod ipſe omnesque Epiſcopi Varmienſes, perpetuis temporibus præſtarent, & quidem his verbis: *Ego N. Epiſcopus Varmienſis promitto & juro, quod ex nunc & in antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo KAZIMIRO, Poloniæ Regi ejusque Succeſſoribus, Regibus & Regno Poloniæ, tanquam Domino*

mino & Protectori Eccleſiæ meæ ac etiam Capituli; Suæ Serenitati & Regno aſſiſtam, nec non ejus Succeſſoribus, ut Suæ Serenitatis Conſiliarius contra quemlibet inimicum, cum quo nullos tractatus, fœdera aut inducias faciam ſine ſuæ Majeſtatis conſenſu; inſcriptionemque pacis perpetuæ, in omnibus capitulis & punctis, ac etiam inſcriptionem, per meum Anteceſſorem, Dominum Nicolaum, Epiſcopum Varmienſem, cum conſenſu Capituli factam inviolabiliter tenebo; conſilium mihi creditum ad Suæ Serenitatis damnum non revelabo; omnemque machinationem, quam practicari ſubodoravero, in præjudicium & commodum Regiæ Majeſtatis, Succeſſorum, aut Regni terrarumque & civitatum Pruſſiæ, de corpore inclyti Regni Poloniæ exiſtentium, pro quibus fideliter conſulam, præcuſtodiam tempeſtive & aviſabo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia. Idem pactum, quod jusjurandum exhibet, pariter præcipit, ut *infra tres menſes, a die receptionis literarum Apoſtolicarum proviſionis Eccleſiæ Varmienſis, coram Rege in Pruſſia præſente, abſente vero, in caſtro Marienburgenſi in manibus Epiſcopi, quem Rex ad hunc actum deſignaturus, in eccleſia majori ad altare ſummum, Palatino Marien-*

Quid de ejus jurejurando olim ſancitum.

Marienburgensi, *& Capitaneo*, *ac Magistris civium (Præconsulibus) de Thorun*, *Elbing & Gedano*, *præsentibus*, *aut uno vel pluribus*, *ex his*, *quo minus veniant impeditis*, *nihilominus in manibus dicti Episcopi præstetur* *. Ex his pleraque usus sensim mutavit. Non enim intra tres menses, ex quo novo Episcopo, Papæ confirmatio reddita, juratur, sed quoniam Episcopatus fere semper non indigenis obvenit, differri debet jusjurandum, donec Ordines in conventu suo generali consentiant. Adiit Episcopatum Varmiensem Zaluscius a. 1699 & demum 1708 ipsi jurare licuit: & Szembekius sexto anno, ex quo Varmiensis Episcopus evasit, jusjurandum dixit. Non ergo potest sanctio illa locum habere, qua in memorato pacto, *vasallis & subditis* ecclesiæ Varmiensis, impune ab obedientia Episcopi recedere permittitur, si constituto tempore Episcopus non juraret, quoniam sine Episcopi culpa, vel quod generalis non habetur conventus, vel ex alia causa, jusjurandum longius differtur, nec ullus in Episcopum eligitur, quam qui a Rege commendatur, & de cujus fidelitate satis constat. Nullum vero est dubium, quin Episcopus Varmiensis, si indigena fuerit, conventu generali non exspectato,

quod sæpe longius differtur.

Potest Episcopus

Mariæburgi jurare possit, modo nomine Regis, Episcopus, qui jusjurandum excipiat, ac illi, quorum præsentiam vetus pactum exigit, adsint. Hosius non quidem indigena, sed quem antea Ordines ad Culmensem Episcopatum admiserant, factus Varmiensis Episcopus, a. 1551. finito Graudentinensi conventu, Mariæburgum se contulit, ac in templo arcis, coram Cujaviensi & Culmensi Episcopis, quos Rex legaverat, Palatino Mariæburgensi & Præconsulibus Thorunensi, Elbingensi ac Gedanensi præsentibus, sollemni jurejurando se obstrinxit **: quod post illum, a nullo Episcopo Varmiensi, extra conventum generalem adhuc factum est. Omnes tamen Mariæburgi jurarunt, præter unum Widzgam, qui a. 1660 Culmam prætulit, cum hic, ob pestem Mariæburgi grassantem, conventus haberetur. Quoad templum, non omnibus idem placuit, Szyszcovscio, Leszczynscio, Radzejovscio, pro templo arcis, civitatis *parochiale* eligentibus. Episcopum in ædem sacram comitantur, qui ad conventum generalem confluxerunt, quique jurejurando auditores adsunt. Jusjurandum, quod interdum Missa præcedit, ex *Prilusii* aut *Januszovii* statutis, vel primario ex Consiliariis, si ipse juratus, vel nullo

Varmiensis, si indigena, extra conventum generalem jurare.

Exemplum Episcopi, qui non Mariæburgi, sed Culmæ juravit.

De templo, in quo juratur.

nullo præeunte, ante altare præcipuum recitatur. Radzejovſcius jusjurandum, ex ſcheda ſibi a Palatino Culmenſi porrecta, ſolus legebat: quod antea a Rudnicio, Abbas Olivenſis, Konarſcius, ad id a Rege deſignatus, exceperat. A. 1728, diſceptabatur, quis jusjurandum præiret, nullo ex Conſiliariis jurato, quem honorem palatinatus Culmenſis Nobilitas, judici terreſtri Michalovienſi, Bajerſcio, alii Abbati Pelplinenſi, Epiſcopi Culmenſis Coadjutori, Czapſcio, deſtinaverant, aliis utrique, quod neuter provinciæ jurejurando obſtrictus erat, contradicentibus. Sed deſiit lis, cum placeret omnibus, ut Epiſcopus nemine præeunte juraret. Jurant alias Epiſcopi Varmienſes, per Deum & Sancta ejus Evangelia; ſed nullo Evangeliorum libro ad manus, Szembekius a. 1728, finiebat jusjurandum hac precatione: *ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta crux*, tacta, quæ ex collo pendebat, aurea cruce. In quo ipſi ex eadem cauſa a. 1713 Potocius exemplo fuerat. Nec hoc ſilentio transmittendum, recitari jusjurandum verſa ad altare facie, Szembekium vero tergum altari obvertiſſe.

Interdum nullo præeunte, neque in evangelia, ſed in crucem juratum.

* Laſc. Stat. f. 159. Prilus. Stat. p. 754. Januſz. Stat. p. 907. Leges & Statuta Regni ex edit. Pat. ſchol. piarum Varſ. T. I. p. 233.

** Hiſt. Pr. II. 74.

§. 26.

§. 26.

Reliqui Conſiliarii, pariter in conventu generali jurant, quare eorum jusjurandum differendum eſt, donec conventus habeatur, qui cum AUGUSTO II. regnante, ab anno 1713 ad annum 1728 non celebraretur, multi interea Conſiliarii mortui, antequam fidem provinciæ obſtrinxiſſent. Sub AUGUSTO III. jam longius ſine conventu generali ſpatium tranſiit. A. 1726 novi Conſiliarii fruſtra ad dicendum jusjurandum Mariæburgum venerant, quia abſente Culmenſi Palatinatu, conventus incipi nequibat: neque ex eadem cauſa a. 1717 ad jusjurandum, Palatinus Culmenſis & Elbingenſis Caſtellanus admittebantur: quod Palatinus indignanter tulit, minitans, ſe in palatinatus ſui caſtro juraturum eſſe. Cum anno 1681 diſceptaretur, an ob duorum tractuum, ſeu diſtrictuum, Tucholienſis & Svecenſis abſentiam, conventus haberi poſſet, ac negantium, quamvis paucorum, ſententia prævaleret, Caſtellano Culmenſi jurare permittebatur, non autem Palatino Mariæburgenſi, quod ille indigena, hic non indigena eſſet, de quo num inter indigenas recipiendus, in conventu rite cœpo prius deliberari deberet. Jurant novi Conſiliarii, conventus

Jurant Conſiliarii in conventu generali, & quidem ejus initio.

initio,

Interdum junctis jam consiliis juratum. initio, antequam legatus Regius auditur, quod post consiliorum conjunctionem, seu *combinationem conclavium* differtur, si novus Consiliarius non indigena, expendendumque prius, num pro indigena habendus & ad jusjurandum admittendus sit: quod inter alia, exempla Culmensis Episcopi, Olszovscii, a. 1662; Castellani Culmensis, Kretkovscii, a. 1664; & Palatini Mariæburgensis, Bielinscii, a. 1682 probant: hoc ut non semper in non indigenis usu servatum, ita nonnunquam contigit, ut etiam indigenæ, junctis jam Ordinum consiliis jurarent: quod a. 1668 ab Elbingensi Castellano, Guldensternio; a. 1677 a Succamerario Pomeraniæ, Konarscio; a. 1678 a Culmensi Succamerario, Bakovscio; a. 1696 a Palatino Culmensi, Gninscio, & Castellano Culmensi, Prebendovio; & a. 1710 a Succamerario Pomeraniæ, Czapscio factum legimus. Cum a. 1712 novus Succamerarius Mariæburgensis, Kczevscius, in conventum finitis consiliis venisset, ejus jusjurandum in proximum differebatur. *Juratur Consiliariis & Nobilitate præsentibus.* Antiquis temporibus ad excipiendum jusjurandum Consiliariorum sufficiebat præsentia, quare vetus statutum *in medio Consilii* jurari præcipit, quod postea ita mutatum, ut id simul coram Nobilitatis Nuntiis fiat: qui

qui ægre tulerunt, cum se absentibus a. 1625 Culmensis Episcopus jurasset. *Quis jusjurandum novis præeat.* Præit novis Consiliariis jusjurandum, primus, qui ex veteribus juratis adest, interdum tamen nemine præeunte juratum, ut a. 1596 ab Episcopo Culmensi, Tylicio; *Nemine præeunte juratum.* a. 1612 a Castellano Elbingensi, Zalinscio; a. 1647 a Culmensi Palatino, Dzialynscio; a. 1660 a Pomeraniæ Succamerario, Gninscio. A. 1658 dubitatum, an superioribus Consiliariis absentibus, a Succamerario jusjurandum præiri posset, sed sine justa ratione dubitatum, excepitque tum jusjurandum a Culmensi Episcopo, Mariæburgensis Succamerarius: quod a. 1662 a Culmensi Succamerario fiebat, alio Episcopo Culmensi, prioris successore jurante. *Cum Consiliariorum nullus jurasset, excipere jusjurandum, Rex Regni Thesaurario, quia indige-* Cum a. 1726 inter Consiliarios sacri & equestris ordinis nullus esset juratus, qui jusjurandum præiret cæteris, mandavit Rex Thesaurario Regni, Prebendovio, quod indigena esset, & olim Mariæburgensis Palatinus fuisset, ut Consiliarios in generali conventu Mariæburgensi jurejurando obstringeret; quod quia conventus generalis inchoari nequibat, haud successit. Dilatum igitur jusjurandum in alium generalem conventum Mariæburgensem, a. 1728, in quo Varmiensis Episcopus cum ipse antea nullo præeunte jurasset,

na, mandavit. raſſet, reliquis Conſiliariis jusjurandum præiit.

§. 27.

Jurisjurandi Conſiliariorum formula. Epiſcopus Culmenſis, Palatini, Caſtellani, Succamerarii jurant ad unam formulam, quæ in Laſconis, Priluſii, Herburti & Januſzovii Statutis Poloniæ legitur, & qua ſe obligant: „Regi Poloniæ & Succeſſoribus ejus fideliter „conſulere, pro honore & ſtatu ejus „Regali ac proventibus ejus, ac pro „communi bono terrarum Pruſſiæ & „Regni Poloniæ, conſilium ejus ſecrete „tenere, & eum in omnibus præcuſto„dire„; addita precatione: ſic ſe DEus adjuvet & hæc ſancta crux! Jurant in conclavi Conſiliariorum, Ordinibus præſentibus, quisque ſuo poſt menſam loco, *Epiſcopos ſtantes, cæteros flexis genibus jurare.* Epiſcopus Culmenſis ſtans, cæteri genibus flexis: quamvis Epiſcopos etiam genua ſubmiſiſſe conſtat, ſuccurruntque Tylicii, Olſzovii, Potocii exempla. Voluit a. 1678 Succamerarius Mariæburgenſis ſtans jurare, ſed monitus, procubuit in genua. Recitatur jusjurandum aut ex Priluſio, aut Herburto latino, ſed *Jurari per DEum & ſanctam crucem.* ex Herburto plerumque, & quia juratur per crucem, neque imago Chriſti cruci affixi adeſt, tangitur crux, quam ex collo pendentem geſtant Epiſcopi. Jurantes a. 1728 una tres Palatini, duo Caſtellani & unus Succamerarius, cruci, quam Varmienſis Epiſcopus collo demtam in menſa locaverat, digitos imponebant: & cum poſtero die Epiſcopus Culmenſis ſolus jusjurandum diceret, crucem ſuam oſculabatur. Abſentibus Epiſcopis, a. 1634 Pomeraniæ Succamerarius jurans, crucem quam Mariæburgenſis Palatinus, more Epiſcoporum ex collo geſtabat, tangebat; a. 1656 Caſtellanus Gedanenſis ac Succamerarius Mariæburgenſis, & a. 1660 Palatinus Mariæburgenſis, jurantes, cruce qua circulus precatorius, *paternoſter* vulgo, religioſe decoratur, utebantur. Cum vero 1647 nulla crux in promtu eſſet, *Jusjurandum per evangelia & Chriſti paſſionem.* Culmenſis Palatinus, qui nemine præeunte, jusjurandum ex Herburto recitabat, ſatis habuit, digitos Herburto imponere. Achatius Zema, Succamerarius Mariæburgenſis, & Gerhardus Denhofius, Gedanenſis Caſtellanus, ambo non Romani Catholici, pro *ſancta cruce*, ille a. 1621 ſancta evangelia, hic a. 1642 ſanctam *paſſionem* JEſu Chriſti nominabant. *Jurisjurandi repetiti exemplum.* A. 1689 a Succamerario Pomeraniæ jusjurandum repetendum erat, quod Varmienſis Epiſcopus formulam non conſuetam præiiſſet.

§. 28.

Novum pro Episcopis jurisjurandi additamentum.

Quamvis, ut modo dictum, cum Consiliariis sæcularibus Culmensis Episcopus idem præstat jusjurandum, sanxerunt tamen Ordines a. 1699, ut ille & Varmiensis Episcopus, pari religione promitterent, quod ad *beneficia spiritualia*, speciatim vero ad *prælaturas*, & *canonicatus*, juris & *dispositionis* suæ, veros & legitimos harum terrarum nobiles & indigenas promoturi & instituturi sint: (E) & quod si illud jurare noluerint, ne ad occupandum in consilio locum suum admitterentur. Aberant ambo Episcopi, cum hoc veteris jurisjurandi additamentum Ordines reliqui constituerent, ad quod ex illo tempore Episcoporum Varmiensium nullus, & ex Culmensibus unus tantum Kretkovscius a. 1728 se obligavit.

§. 29.

Jurantur etiam interregni tempore.

Consiliarii, qui vivente Rege nondum jurarunt, possunt jurare illo defuncto, quod post SIGISMUNDI AUGUSTI mortem, Walevscio, novo Castellano Elbingensi, ad jusjurandum parato permitti nolebat *. Aliud sequentibus interregnis obtinuit, cum post VLADISLAI IV. obitum, Castellani Elbingensis & Gedanensis ac Pomeraniæ Succamerarius; post JOANNIS CASIMIRI abdicationem Castellanus Elbingensis; mortuo

tuo JOANNE III. Palatinus Pomeraniæ cum Castellano Culmensi; & interregno ultimo, Episcopus Culmensis, Palatinus Culmensis, ac Succamerarii Culmensis & Pomeraniæ juraverint. Hoc tantum servatur discrimen, ut dum Rex vivit, Ipsi nominatim Ejusque Successoribus, Regno autem vacuo, Regi eligendo coronandoque fides obstringatur.

* Histor. Pruss. T. III. p. 11 - 13.

§. 30.

Consiliarii, si semel jurarunt, jusjurandum non repetunt.

Cæterum sufficit semel jurasse, neque repetitur jusjurandum, quando altiorem locum ascendunt Consiliarii, & Castellani Palatini, aut Succamerarii Castellani evadunt. Usum hunc, qui perpetuus fuit, a. 1696 laudo §. 20. citato firmarunt Ordines, novo jurejurando liberos declarantes, qui jurati ex Castellanatu vel Succamerariatu dignitatem Palatinalem obtinuerint. Solus Culmensis Episcopus, quando ad episcopatum Varmiensem evehitur, novo jurejurando obstringitur, ex ea quidem ratione, quod Episcopi Varmiensis jusjurandum a Culmensis Episcopi diversum est. Novissimum exemplum est Potocius, a. 1712 Culmensem cum Varmiensi episcopatu mutans, quem Tylicius, sed centum & duodecim annorum intervallo, præcessit.

Episcopus tamen Culmensis, ad episcopatum Varmiensem evectus, jurat iterum.

§. 31.

Consilii Præses. Ex commemoratis Consiliariis, Varmiensis Episcopus est consilii Præses, qui tamen præsidium non nisi juratus exercet. *Palatinorum extra Consilium munia.* Palatini sunt nobilitatis palatinatus sui Duces, quando generalis expeditio intra provinciam suscipitur, simul judices *castrenses*, habentque singuli *capitaneatum* cum jurisdictione. Sed non licet jus dicere, nisi juratis, sequiturque, ut judicia castrensia sileant, quam diu Palatini fidem provinciæ non obstrinxerint; quod ex *laudo* §. 23. allegato patet. Castellanorum & Succamerariorum dignitati non alia munia juncta sunt, nisi quod Castellani in expeditione generali, Palatinorum absentium vices expleant.

§. 32.

Civitates majores Consilii pars, quæ inde Constatus vocantur. Non totum consilium Episcopi, Palatini, Castellani & Succamerarii componunt, civitates aliquot, ut supra dictum, ejus partem constituunt, suntque numero tres, Thorunum, Elbinga, Gedanum, cum prima consilii institutione septem fuerint. Thorunum duas reliquas præcedit, quod condita a Crucigeris, prima in illorum ditione fuit. Secuta Elbinga, & Gedanum accessit ultima. *Ordo inter has civitates.* Dicuntur hæ civitates, ut distinguantur a civitatibus cæteris, majores, nec non *Constatus*, quia ad Ordines, vulgo status, &

& quidem primarios, quales sunt Consiliarii, referuntur. Altero, quod cum Svecis superiori sæculo gestum bello, Thoruno & Elbinga ab hostibus occupatis, Gedano, quæ sub Regis sui imperio manserat, JOANNES CASIMIRUS, præter alia fortitudinis & constantiæ præmia, primum ante duas illas civitates locum per Rescriptum concessit. Cum vero Thorunum & Elbinga, salvis antiquis juribus, sub Regis ditionem rediissent, ac Olivensis pax, ea quibus ante bellum usæ illibata vellet, receperunt pristinum locum, Gedano non multum repugnante *.

* Histor. Pruss. VII. 248. 249. 278.

§. 33.

Mittunt civitates ad generales conventus Præconsules & Consules. Quia civitates majores, veluti collegæ, cum Consiliariis reliquis consultant, generalibus conventibus per binos, quos ex suo Senatu, seu Magistratu, ut vulgo appellatur, legant, intersunt. Collegium enim illud, quod in Germaniæ civitatibus Senatus vocatur, in Prussia magistratus dicitur, idque usu obtinet, quia Senatus vocabulum augustius habetur, ac Senatui Regni Poloni, tanquam proprium, servatur. Ex eadem ratione, qui in Germania Consules & Senatores, (Bürgermeister und Rahtmänner,) in Prussia nostra Præconsules & Consules

Consules dici solent: quod in gratiam exterorum monere non alienum duxi. Ex binis illis, quos majores civitates ad generales conventus mittunt, aut alter est Præconsul alter Consul, aut ambo sunt Consules, imo a. 1614. 1621. 1632. 1634 unus tantum Gedano adfuit Consul, idque cum ægre ferretur, excusabatur.

Num semper Præconsules adesse debeant.

Neque hoc semper ab equestri ordine æquo animo latum, cum pro Præconsule Consul veniret, & delata hoc nomine ad Regem VLADISLAUM IV. querela, statuit Rex a. 1647, ut nisi legitimum impedimentum intercederet, cum Consule, Præconsul ad conventus mitteretur *. Non tamen sequentibus temporibus defuerunt causæ, quas civitates, tanquam legitima impedimenta, pro absentia Præconsulum allegarent, quoties cum iis expostularet nobilitas, factumque sæpe, ut Præconsulis locum Consul expleret.

* Histor. Pruss. IV. Docum. p. 156.

§. 34.

Non eosdem civitatum nomine in omnes conventus venire, neque ab iis jusjurandum provinciæ seorsum præstari.

Non mittunt civitates ad omnes conventus, eosdem, sed ad singulos, alios, salva tamen facultate, si velint, mittendi eosdem ad conventus plures. Nec minus in hoc a Consiliariis reliquis, qui a civitatibus mittuntur, differunt, quod non, ut illi, provinciæ seorsum jurant. Jam SIGISMUNDO I. regnante postulatum, ut civitates majores binos eligerent, qui dum viverent, consilio interessent perpetuo, & jurejurando, ut Consiliarii cæteri, obstringerentur *. Idem de jurejurando posteriore tempore repetitum aliquoties, frustra tamen **, cum consuetudo perpetua reclamaret, & qui missi, tanquam magistratus, jusjurandum domi præstitissent repetiissentque.

* Hist. Pruss. I. 289. 166. 172. 194.

** Hist. Pr. III. 127. IV. 98. V. 180. VI. 14.

§. 35.

Civitatum majorum Secretarii, quid in conventibus agant.

Habent Magistratus, quando in conventus veniunt, in suo comitatu *Secretarios*, qui post eorum sellas stantes, consultationibus publicis auditores intersunt, ac singula notant, quorumque industriæ commentaria conventuum generalium, quæ in tabulariis seu *archivis* supersunt, debentur. Ex his Thorunenses *Secretarii* litteras & alia scripta ad conventum, tum quæ conventus nomine scribuntur, coram Ordinibus recitant, nec non acta publica ex Ordinum sententia componunt: in quo tamen labore, si opus fuerit, a reliquarum civitatum *Secretariis* adjuvantur.

Fides eorum & industria.

Nonnunquam non defuerunt, qui *Secretariorum* fidem suspectam reddere conati sint, postulaverintque, ut vel provinciæ jurarent, vel publica acta præ-

præſentibus nonnullis ex nobilitate exararentur, ac iis Marſchalcus Nuntiorum nomen ſubſcriberet. Sed Ordines nihil novari paſſi ſunt, quibus etiam ſatis fuit, quod *Secretarii*, quisque ſuæ civitati, juraverint. Ut autem bini civitatum Magiſtratus, ita totidem adſunt *Secretarii*, neque conſuetudini conſentit citatum antea VLADISLAI IV. decretum, quatuor tantum *Secretarios* conſiliis intereſſe jubens, cum ſex adſint. Civitas etiam, quæ Magiſtratus ad conventum mittere impeditur, mittit tamen aut unum aut duos *Secretarios*, qui, quod ab ipſis, ſi cum ſuis Magiſtratibus veniunt, peragi ſolet, peragant, de ſuæ civitatis negotiis, cum reliquarum civitatum præſentibus Magiſtratibus diligenter communicent, ac domum reduces, quæ in conventu acta exponant.

Mitti Secretarios, etiamſi Magiſtratus non veniant.

§. 36.

Singuli Palatini ſingulos habent capitaneatus cum jurisdictione.

Unum de Conſiliariis equeſtris ordinis reſtat, quod nempe ſine decimi ſexti & ſequentis ſæculi initio, Rex rogatus ſit, ut illis annuos reditus conſtitueret *, hæcque a. 1611 Palatinorum habita ratio, ut Culmenſis Kovalevienſem, Mariæburgenſis Chriſtburgenſem, & Pomeraniæ Palatinus Skarzevienſem ſeu Schœnecenſem *capitaneatum* poſſiderent, quorum reditibus cum dignitate palatinali frue-

fruerentur **. Pro Caſtellanis & Succamerariis nihil impetratum eſt: bona tamen Regia ipſis conferri ſolent. Poſtea cum proventus ex capitaneatu Kovalevienſi, pro Culmenſi Palatino nimis tenues viderentur, a. 1636 orarunt Ordines Regem, ut capitaneatum illum cum Brodnicenſi commutaret, factumque, repetitis precibus, ut a. 1652 Brodnicenſis Kovalevienſi ita jungeretur, ut Palatinus teneret utrumque, quo defuncto, ſucceſſorem ejus ſolo Kovalevienſi acquieſcere oportuit. Redeundum igitur erat ad priores preces, non tamen Brodnicenſi nominato, ſed ut vel Graudentinenſis, vel Rhedenſis, vel alius in palatinatu Culmenſi primum vacaturus *capitaneatus*, pro Kovalevienſi, Palatino cederet, contigitque tandem, ut regnans hodie Sacra Regia Majeſtas in pactis conventis reciperet, Se capitaneatum aut aliud bonum Regium, ex primis in palatinatu Culmenſi vacaturis, Kovalevienſi *capitaneatui* in perpetuum juncturam eſſe, idque Ordines Regni in proximis comitiis conſtitutione approbaturos eſſe ***. Sed approbatio nondum ſecuta, neque Kovalevienſi capitaneatui, alius capitaneatus aut bonum regium adhuc jungi potuit. Præter reditus ex dictis *capitaneatibus*, Palatini etiam

Palatino Culmenſi alius capitaneatus, vel pro Kovalevienſi conferendus, vel Kovalevienſi jungendus.

Palatinorum ex judiciis caſtrenſibus reditus.

iam ex judiciis castrensibus parte *sportularum*, ut vocari solent, fruuntur.

* Histor. Pruss. IV. 309. 358.

** Hist. Pr. V. 49.

*** Pacta conventa Augusti III. §. A że Woiewodztwo Chełminskie. Commentar. ad eadem pacta. p. 29. 30.

§. 37.

De Nuntiis terrestribus, pro quibus saepe universa Nobilitas conventibus generalibus interest. Quae inde incommoda.

Ut Consiliarii primum, ita nobilitas trium palatinatuum, alterum Ordinem constituit, qui ideo Ordo equestris appellatur. Est enim nobilitas consiliorum publicorum omnium particeps, ut nihil sine ejus consensu constitui queat. Consentit autem universa nobilitas in generalibus conventibus, per eos, quos legat, qui Nuntii *terrestres* dicuntur, quique nobilitatem, a qua missi, repraesentant. Recentiore tamen tempore, omnes nobiles, quibus placuit, in generales conventus venire coeperunt, aut nullis electis Nuntiis, aut si electi, concessa cuivis adeundi conventus, ibidemque censendi facultate. Fit hoc contra morem majorum, & terrarum Prussiae constitutiones, quae ideo nobilitatem a Palatinis ad conventus particulares vocari, praecipiunt, ut Nuntii in conventum generalem eligantur: qui conventus particulares supervacanei fuissent, si omni nobilitati conventui generali interesse licuisset. Accedit, quod consultantium multitudo consilia admodum moretur, & saepe reddat irrita, quae celerius & melius succederent, si deliberarent pauci. Nec non inde fit, ut quoniam frequentiam nobilium curia, ordinarius conventuum locus, non capit, ex illa, in sacram aedem, quia spatiosior, consilia transferantur. Ne dicam strepitum, tumultum, rixas, vim, quae in magno coetu eoque liberiore oriuntur facile, ut vix vitari queant. His aliisque ex multitudine consultantium incommodis Ordines occursuri, jam a. 1654 sanxerunt, ut auctoritate censendi, seu *voce activa* carerent, qui non lecti Nuntii, viritim ad conventus generales profecturi essent. Quod ad Nuntios, qui a Nobilitate ad conventus mittendi, oportet eos esse nobiles, indigenas, *possessionatos*, hoc est, bonorum equestrium vulgo terrestrium possessores. Haec vetera jura & consuetudines exigunt, quae citantur, quoties eas novis legibus Ordines firmant: ut a. 1665 factum, cum alios, quam veros indigenas & *possessionatos*, ad conventus harum terrarum aut ad comitia Regni mitti, interdiceretur; idque sequenti anno alio laudo repeteretur: ad quorum utrumque Ordines provocarunt, a. 1730 idem vetantes. Super haec requiritur, ut sint in particulari

Nuntii quales esse debeant.

(F)

(G)

lari præsentes, qui ad generalem conventum Nuntii eligi velint, cum *laudum* a. 1654 antea citatum, haud permittat, Nuntios ad generalem conventum eligi, qui particularibus non interfuerint: quales particulares conventus intelligendi sunt, quando in *laudis* annorum 1666 & 1730 conventuum fit mentio, in quibus præsentem esse oporteat, qui ad generalem mittendus sit. Id memoratu dignum, venisse ex tractu Tucholiensi a. 1628 in conventum generalem Culmensem Nuntium, qui civis olim Posnaniensis, prædia aliquot in palatinatu Pomeraniæ conduxerat, cui censendi facultas recte negata est, quia neque nobilis, neque indigena, neque bonorum equestrium dominus erat *: ut a. 1710 Nuntii intercessio irrita fuit, quia ejusmodi bonis carebat. A. 1600 in numero Nuntiorum Castellanus Elbingensis fuit, nec Succamerariorum, qui sæculo decimo sexto & sequentis initio Nuntii electi, exemplis destituimur. Cum a. 1636 Succamerarius Pomeraniæ inter Consiliarios censuisset, ad Nuntiorum conclave se contulit, præter quem, ex Suecensi tractu, non alius Nuntius aderat **.

Consiliariorum exempla, qui Nuntii fuerint.

* Histor. Pruss. V. 217.

** Histor. Pr. VI. 101.

§. 38.

§. 38.

Ad Ordines olim etiam civitates minores pertinuisse.

Olim præter Nobilitatem minores civitates Regiæ, seu *immediatæ*, ad alterum Ordinem referebantur, quarum præsentiam consortiumque Nobilitas jam sæculo decimo sexto, quasi minus ex dignitate esset, aversari cœpit, Consiliariis vetus illarum jus tuentibus: in quo cum illas Nobilitas turbare pergeret, ipsæ etiam nonnunquam ad conventus a Rege non vocarentur, a. 1621 a Consiliariis sancitum est, nihil innovandum, sed auctoritate juris & consvetudinis, minores civitates, ad consultationes a Nobilitate admittendas nullaque ex causa arcendas esse. (H) Sed quoniam ne sic quidem minoribus civitatibus jus suum satis assertum erat, ut non sæpe consiliis summoverentur, & vocatis ad conventus Ordinibus cæteris, interdum non vocarentur, Regis auctoritas implorabatur: Qui a. 1654 ad Ordines rescripsit, ut civitates illas, consultationibus publicis interesse sinerent, & in usu antiqui juris tuerentur. Sed non pro- (I) fuit hoc Regium rescriptum, tanto jam a nobilitate minoribus civitatibus incusso metu, ut illud ne publicare quidem sustinerent, factumque a. 1658 in conventu Gedani habito, ut Nuntii nobilitatis conclavi suo eas excedere adigerent,

rent, velle se de suis negotiis seorsum agere, caussati; sed Gedanenses, qui ex civitatibus majoribus soli aderant, asseverando, secus irritum se reddituros conventum, obtinuerunt, ut civitates minores revocarentur. Cum vero in Culmensi conventu a. 1662 minaciter in sua sententia perstaret nobilitas, ut minoribus civitatibus nullo tempore inter provinciæ Ordines locus esset, frustra ad earum jus, qui civitatis Mariæburgensis nomine præsens, provante, & Consiliariis pro iis annitentibus. Ex quo tempore, cum equestris ordinis Nuntiis deliberare, civitates minores ausæ non sunt. Quando ergo postea in generales conventus venerunt, collatis privatim consiliis, civitatibus majoribus res suas commendarunt, ut ab his perageretur, quod a se fieri haud liceret: idque in hunc diem obtinet. Tentatum quidem, ut in pristinum jus minores civitates restituerentur, sed frustra: hoc ex antiquo manente, quod ad conventus generales litteris Regiis vocentur, idque cum a. 1732 bis non fieret, factum postea. Ad Regis exemplum, interregni tempore, Varmiensis Episcopus, cum reliquis Ordinibus minores civitates pariter ad generales conventus vocat. Error fuit, cum a. 1726 Bromberga, Polona civitas,

Ex quo tempore ad consultationes publicas admissæ non sint, licet in hunc diem ad conventus generales vocentur.

Bromberga

tas, ad Prussiæ fines sita, quasi ex minoribus Prussiæ civitatibus esset, ad conventum generalem Mariæburgum acciretur, ingenue fatentibus, qui ejus nomine venerant, suam civitatem ad Prussorum conventus vocatam esse nunquam.

per errorem ad minores Prussiæ civitates relata.

§. 39.

Consiliarii igitur & nobilitas intelliguntur, quando de Prussiæ Ordinibus sermo est; quos Rex consulit, quique constituunt, quod ex publica utilitate aut privatorum commodo fit. Utrumque fit, vel seorsum in Prussiæ conventibus generalibus, vel una cum totius Regni Ordinibus, in comitiis; estque hoc in Prussorum præcipuis, idque ex privilegio *incorporationis*, quod iis tantum teneantur, quæ vel ipsi decreverunt, vel si decreta a Regni Ordinibus, suo assensu approbarunt, quod suum jus tuiti sunt omni tempore fortiter, successu quamvis non semper pari, transmisitque ad posteritatem historia exempla fere innumera. Memorabilis fuit in Gedanensi conventu a. 1710 de hac re disputatio, demonstratumque, Prussos ad ea non obstringi, quæ sine ipsorum assensu in Regni comitiis sancita essent *. A. 1713 publico *laudo* Prussi indignationem suam declararunt, tum quod congressibus

Ordines a Rege consuli eosdemque decernere.

Inde Prussos non obligari, nisi ex suo consensu.

privata auctoritate institutis, tum quod nullo conventu publico habito, Ordinibus provinciæ ne quidem convocatis, imperata ac vi exacta fuissent tributa, quare consulturi indemnitati jurium suorum, voluerunt, ne quicquid adversus ea patratum unquam repeteretur, sed ejus memoria plane aboleretur **. Semestris pro militibus pensio in comitiis a. 1717 sine Prussis decreta, ac Prussiæ simul irrogata, confertur quidem, sed quod sine scitu & consensu Ordinum irrogata esset, a. 1730, cum conventus generalis maturius peragi nequiret, publice contradictum est ***.

* Hist. Pruss. IX. 260 seq.

** Hist. Pruss. IX. Doc. 50.

*** Hist. Pruss. IX. Doc. 70.

§. 40.

Ordinarii olim Prussorum conventus.

Conventus, in quibus domi Prussiæ Ordines deliberant & constituunt, dicuntur generales, quia sunt conventus totius provinciæ. Olim erant vel ordinarii vel extraordinarii, appellabanturque ordinarii, quod singulis annis bis, & quidem stato tempore locoque, proximo post S. Stanislai & S. Michaelis die, Mariæburgi & Graudenti primum, deinde pro Graudento Thoruni habebantur *: erantque judiciales, cum in illis privatorum causæ ex appellatione judicari

cari solerent, non tamen meri judiciales, nam si non semper, sæpius publica negotia in iis tractabantur. Quod si tantum privatorum litibus vacandum, soli aderant Consiliarii, si rebus gravioribus, nobilitas & civitates minores advocabantur, mittebatque Rex legatum, qui exponeret, de quibus consultandum esset. Sed ordinarii hi conventus sub VLADISLAO IV. rarius habiti, regnante JOANNE CASIMIRO plane desierunt, ultimo a. 1652 celebrato, & quamvis de instaurandis iis aliquoties sermo inciderit, idque a. 1677 laudo decerneretur, non tamen conventibus illis pristinus redditus vigor, qui etiam minus necessarii, appellationibus judicialibus ad eos jam dudum cessantibus. Hodie igitur omnes conventus, quoad tempus, sunt extraordinarii, cum locum quidem, diem tamen non certum habeant, illique vel antecomitiales, vel postcomitiales, quia comitia Regia modo præcedunt, modo sequuntur, quorumque origo ab illo tempore repetenda, quo ad exemplum Regni Ordinum, comitia Prussi frequentare cœperunt. Præter hos etiam alios posse indici conventus, quibus cum comitiis nulla intercedat conjunctio, dubium non est, idque infra demonstrabitur. (L)

Jam omnes conventus generales extraordinarios esse.

* Vid. Norma regiminis Prut. §. 31.

§. 41.

Conventus particulares, cum integrorum palatinatuum, tum singulorum unius palatinatus tractuum. Quia conventum generalem, plures præcedunt particulares, & ab his spiritum quasi ac vitam generalis recipit, ordine fieri videtur, si prius de particularibus, quam de generali agatur. Dicuntur autem particulares, quod tum provinciæ, aut unius tantum palatinatus pars, congregatur: quare particulares, in conventus palatinatus integri, & conventus tractuum singulorum unius palatinatus dividi solent. Conventus singulorum tractuum, vulgo districtuum, in solo palatinatu Pomeraniæ habentur, qui præ reliquis duobus, in tractus plures dividitur, scilicet in Gedanensem, Dirsaviensem, Svecensem, Tucholiensem, Slochoviensem, Mirachoviensem, & Pucensem. Ex quibus Gedanensis & Dirsaviensis tam arcte inter se sunt juncti, ut habeantur pro uno, neque ambo agunt conventum *districtualem*, sed nullo ejusmodi conventu præcedente, conventum palatinatus sui Stargardiensem adeunt. *De conventu tractus Svecensis sigillatim.* Cæteris tractibus, suus cuique est conventus: ex quibus Svecensi a sua Nobilitate tanta asseritur auctoritas, ut nisi illo peracto, palatinatus Pomeraniæ conventum posse haberi neget, hancque suam sententiam *laudo* aliquo tueatur: quod quamvis non existat, Nobilitasque illa, ut celebratum suum laudum in lucem proferret, compellata aliquoties frustra sit, invaluit tamen opinio, ex Svecensi conventu, palatinatus Pomeraniæ, sicque generalis conventus pendere successum. Nihil revera habet præcipui ante reliquorum tractuum conventus Svecensis, sed omnes illi conventus æquo jure censendi sunt, idque patet ex *laudo* anni 1658, ubi generatim de *districtibus*, qui ob conventus suos non celebratos, generali conventui non interfuerunt, sermo est, ne illi ad ea, quæ in generali conventu decreta fuerunt, prius obligentur, quam in sequenti, post fraternam & amicabilem compositionem, consenserint. *Quod conventus singulorum tractuum ante generalem habendi sint.* Nec minus *laudum* recentius anno 1708 exigit, ut (M) omnium in palatinatu Pomeraniæ districtum conventus, generalem conventum præcedant, & opportune indicantur. (N) Hos conventus Ludovicum a Mortangen, qui Pomeraniæ Palatinus a. 1594 *Quando cœperint.* factus, Nobilitate urgente induxisse, ipse testis est, & cum eosdem a. 1605 omisisset, mota de ipso querela, disceptatumque, utrum conventus illi necessarii, an vero unus totius palatinatus conventus sufficeret, & Ordinibus discordantibus, rogatus Rex, ut controversiam dirimeret *. Quod, quantum nobis

nobis quidem conſtat, cum factum non ſit, manſerunt nihilominus conventus illi, & adhuc vigent. In reliquis duobus palatinatibus ſunt conventus particulares ſinguli, qui in Culmenſi Kovaleviæ, in Mariæburgenſi Stumæ, ut in Pomeraniæ palatinatu, totius hujus palatinatus, poſt conventus ſingulorum tractuum, Starogardiæ celebratur. Origo conventuum integrorum palatinatuum ab eo tempore repetenda eſt, quo frequentare generales conventus Nobilitas cœpit. Cum enim his per Nuntios ſuos intereſſet, neceſſe erat, ut Nuntii illi in minoribus Nobilitatis conventibus eligerentur, ac ibidem mandata ſua reciperent. Ex hac cauſa, SIGISMUNDUS a. 1526, in conſtitutionibus terrarum Pruſſiæ, a. 1537 retractatis & ſequenti confirmatis, in ſingulis palatinatibus, ante conventum generalem, Nobilitatis particularem fieri jubet, quam ex antiquo more Palatini litteris ſuis convocent, pœna duarum marcarum in abſentes decreta **. Palatini, qui Nobilitatem ad conventus particulares vocant, ſimul tempus ſtatuunt, paucis ante conventum generalem diebus, oportet tamen, ut ſint Palatini jurati, ſecus id iis non licet. Fruſtra a. 1685 Palatinus Mariæburgenſis, palatinatus ſui Nobilitatem convocabat, quia

Origo conventuum integrorum palatinatuum.

A quo indicantur.

ipſe nondum juraverat: ex qua cauſa a. 1696 primum Svecenſis, deinde Starogardenſis conventus in Pomerania rumpebatur: cujus palatinatus Nobilitas tamen conventus ſuos celebrabat, quos eodem anno idem Palatinus nondum juratus indixerat: quod ab ejus ſucceſſore a. 1703 pariter factum, Nobilitate id æquo animo ferente. Si Palatini non jurarunt, poſſunt pro iis Caſtellani jurati Nobilitatem convocare, neque eſt dubium, quin id Succamerariis liceat, ſi in nullo palatinatu Palatinus aut Caſtellanus juratus ſit. Ex juratis Conſiliariis, nullo in tota provincia ſuperſtite, Ipſe Rex anno 1726 & 1728 minores indicebat conventus, quod nuper annos aliquot, a Palatino Mariæburgenſi fiebat, cum præter eum ſolus Caſtellanus Culmenſis ex Conſiliariis juraſſet.

* Hiſtor. Pruſſ. IV. 355 - 357. Doc. p. 178.

** Conſtit. Terr. Pruſſ. §. ante conventum.

§. 42.

In conventibus particularibus primum Marſchalcus eligitur, qui iis præſit, ante cujus electionem præſidet, qui inter præſentes ordine prior, ſive is Conſiliarius fuerit, ſive minori dignitate præditus. Sæpe tamen per contentiones, ne Marſchalco quidem electo, conventus redduntur irriti. Illo creato, conſultatur,

Quomodo conventus particulares habeantur.

tur, Nuntii ad generalem conventum leguntur, & quid ab his agendum litteris mandatur. Si vero Nuntios mittere non placet, adeundi conventum generalem cuique poteſtas ſit, quod recentiore ætate factum frequenter, quamvis illorum multitudo, ut dictum antea, conſiliis admodum officiat. Conventibus minoribus abſolutis, Nuntii, qui nominati, ſuis ſumtibus in generalem proficiſcuntur, niſi quod ex conventibus terrarum Pomeraniæ, illius palatinatus Stargardienſis conventus adeatur, ut collatis conſiliis, ex diverſarum terrarum mandatis, generale palatinatus mandatum componatur. Numerus Nuntiorum lege definitus non eſt, maximus eſt ex Pomeraniæ palatinatu, ob plures in quos diviſus eſt tractus, proximus huic ex Culmenſi, & minimus ex Mariæburgenſi.

Numerus Nuntiorum ex iis ad conventum generalem.

§. 43.

Conventuum particularium ante generalem peragendorum neceſſitas.

Omnes autem particulares conventus, rite debent abſolvi, antequam generalis incipiatur: ac de neceſſitate conventuum in ſingulis Pomeraniæ tractibus §. 41. mentio facta eſt, citatumque ibidem *laudum* a. 1708, idem & quidem majore jure de conventibus palatinatuum exigit, idque ad exemplum *laudi* a. 1678, conventus generales, niſi particulares more ſolito in quolibet palatinatu præceſſerint,

ceſſerint, celebrari vetantis, quos ut dictum ſupra, ante conventus generales, jam SIGISMUNDUS I. *in conſtitutionibus terrarum Pruſſiæ*, præceperat. Quando vero conventus particulares generalem præcedere leges jubent, non eſt illarum mens, acſi ad generalium conventuum ſucceſſum ſufficiant, particulares conventus cœpti tantum, ſed abſolvi debent, quia non abſoluti pro nullis habentur; ac ex his ſolis, Nuntii ad conventus generales legitime mittantur, quorum ex omnibus palatinatibus præſentia ad generalem conventum neceſſario requiritur. Ab anno 1713 usque ad annum 1728 nullus conventus generalis ideo inchoatus eſt, quod vel in uno, vel duobus, vel omnibus palatinatibus conventus, aut non cœpti aut rupti ſunt. Ex eadem cauſa poſt annum 1735 usque in præſentem (1757) generalis incipi non potuit, etiam ante annum 1713 generales conventus ſæpe fruſtra indicebantur. Sunt tamen, fateor, ſuperioribus temporibus, quædam conventuum minus recte generalium appellatorum, integri palatinatus Nuntiis ob non habitum conventum particularem abſentibus, exempla, ſed pauca illa exempla, contra apertas leges & ipſam Reipublicæ Pruſſiæ conſtitutionem, nihil valent, & ne in poſterum valerent,

Num uno palatinatu abſente, generalis conventus haberi queat.

valerent, *laudo* anno 1678 modo citato, provisum. Si tamen solis exemplis certandum, pauca illa vetustiora longe majore, tum antiquorum tum recentiorum numero facile superantur. Neque potiore jure generales possunt dici conventus, uno, quam duobus palatinatibus absentibus, cum ad generalem conventum non plurium, sed omnium palatinatuum exigatur præsentia. Quod jam ad conventus terrarum in Pomeraniæ palatinatu, si illorum aut unus aut plures non successerint, attinet, potest fieri, ut ex hac causa, illius palatinatus conventus Stargardensis, aut non inchoetur, aut si inchoatur, rumpatur, quod præsertim ob irritum Svecensem conventum sæpius factum est. Si tamen Nobilitas ex terris illis consilia sua in conventu palatinatus sui Stargardiæ resumere vellet, & inde Nuntios suos ad generalem conventum mittere, non video, quid obstet, quo minus irriti antea conventus singulorum tractuum, hoc modo instaurari queant. Cæterum durum posset haberi, totius provinciæ consilia, ex unius in palatinatu tractus pendere conventu.

§. 44.

Conventus particula- Conventibus particularibus peractis, generalis habetur, quem Rex litteris

ris suis ad Ordines dimissis indicit, diem & locum simul constituens. Olim Prussi suos conventus, etiam Rege inscio, celebrarunt, tempore & loco ex suo arbitrio designatis. Quod cum jam Rex CASIMIRUS & Senatores Regni ægre ferrent, quasi jus Regium usurparetur, Prussi consuetudine, qua sub Ordine Teutonico usi, & qua, cum aliis, salva, sub ditionem Regis Poloniæ concessissent, tutabantur *. De hoc certatum sæpius, nec minus postquam SIGISMUNDUS I. in *constitutionibus terrarum Prussiæ* ordinarios conventus, certis temporibus & locis adstrinxerat, & extraordinarios Sibi & Successoribus servaverat, quia Prussi non omittebant, sua auctoritate conventus decernere, quod post citatas constitutiones, exempla sub SIGISMUNDO I. SIGISMUNDO AUGUSTO, STEPHANO & SIGISMUNDO III. docent. Desiit sensim mos ille, ut tamen nonnunquam revivisceret. Anno enim 1702 ob periculum a Svecis, ex mente Consiliariorum, Episcopus Varmiensis nondum juratus, inscio Rege, conventum indixit, quo Thorunum & Gedanum, quia non indictus a Rege, abstinuerunt: & a. 1716 quod res de qua deliberandum moram non ferret, ac litteras Regias serius allatum iri crederetur, Varmiensis

res generalis excipit, qui olim etiam Rege inscio habitur.

Exempla conventuum recentiori ætate a Rege non indictorum.

Varmienſis Epiſcopus convocabat Ordines, ſed quia Rex conventum non approbaverat, civitates majores adeſſe nolebant. Sequenti anno monebat Rex Ordines, ne ſine litteris ſuis congrederentur, ad Regni conſtitutiones ejusdem anni eos remittens, quæ ejusmodi conventus vetant **. Indictos ultimo bello Svecico a Caſtellano Culmenſi conventus *** in exemplum non allego, quia tum & alia, quæ contra fas & receptam conſuetudinem, fiebant, ac conventus illi, pro legitimis habiti non ſunt. Rex JOANNES III. in expeditionem adverſus Turcos profectus, a. 1676 Epiſcopo Varmienſi committebat, Pruſſos ad conventum vocare: quod etiam ab eo factum eſt ****.

* Schutzii Chron. Pruſſ. Lib. VIII. f. 339. Norma Regim. Prut. §. 30.

** Hiſt. Pruſſ. IX. 309.

*** Hiſt. Pr. IX. 152. 197. 211. 219. 226.

**** Hiſtor. Pruſſ. VIII. 140.

§. 45.

Dies conventuum generalium incertus, ſed loca certa, inter vices ſervandæ ſunt.

Dies, quo habendus conventus generalis, eſt incertus, modo, ſi conventus antecomitialis, is conſtituatur, ut ex conventu illo commode adiri queant comitia, quare ejusmodi conventus, comitia quatuor circiter hebdomades præcedere ſolet. A. 1683 dies conventus in tertiam comitiorem diem incidebat, nihilominus

hilominus conventus ille peragebatur, ac Pruſſi in comitia proficiſcebantur. Contra a. 1670 palatinatus Culmenſis conventus particularis ruptus, irritusque redditus generalis, quoniam ad illum diem indictus, quo comitia jam cœperant. Idem a. 1712, qui comitiorum, pariter conventus generalis dies erat, prorogabanturque in aliud tempus comitia, antequam Pruſſi adeſſent. Dies conventus in Regiis litteris ſcribitur, qui cum a. 1692 omiſſus eſſet, ab Epiſcopo Varmienſi ex Palatinorum ſententia inſcrebatur. Indicuntur conventus per vices, modo Mariæburgum, modo Graudentum, quas civitates SIGISMUNDUS I. ordinariis conventibus deſtinaverat, extraordinariorum locum ſuo arbitrio ſervans. SIGISMUNDUS III. civitates illas etiam pro extraordinariis conventibus, plerumque præferebat aliis, factumque, ut cum ordinarii conventus ſenſim deſinerent, Mariæburgum & Graudentum per vices extraordinariis inſervirent; quod quamvis nulla lege ſancitum erat, conſuetudine tamen ita invaluit, ut a. 1654 Culmenſis Nobilitas ſuum conventum rumperet, quod generalis Mariæburgum indictus, quem Graudentum, ob vices, indicendum crediderat: ex qua cauſa a. 1687. 1695. 1728 conventus celebrati

Quomodo vices intelligendæ. lebrati non ſunt. Quomodo autem vices intelligendæ, quod ſcilicet locum habere debeant, ſi audito Regio Legato electoque Mareſchalco equeſtri, conventus ruptus fuerit, Ordines a. 1687 (P) declararunt, & 1710 confirmarunt. Quare in alterutra civitatum repetendus conventus, donec poſt electionem usque Marſchalci continuatus fuerit, debuiſſetque conventus a. 1730 Mariæburgi celebrari, qui celebratus Graudenti, quoniam proximus conventus Mariæburgi cœptus, ante Marſchalci electionem, ruptus erat, quod quidem monitum eſt, Ordinibus tamen placuit a lege ſponte ſua decedere *. *Poſſe tamen juſtis de cauſis alio conventus indici.* Etſi ergo loca conventuum certa ſint, manet non minus Regi antiquum jus Ordines alio convocandi, præſertim ubi juſta cauſa ſubeſt. Hinc JOANNES CASIMIRUS, Gedanum, Tucholiam, Neuburgum, Culmam, Thorunum conventus indixit: quem AUGUSTUS II. Mariæburgo & Graudento peſte infectis, in monaſterio Olivenſi prope Gedanum celebrari voluit, cœptumque ibidem, cum Ordines primum in veterem Schotlandiam ad illam urbem, deinde in ipſam urbem prorogarent, Rex approbavit. Indictum Decembri menſe 1660 a Rege conventum Mariæburgum, Ordines habuerunt Culmæ,

mæ, quia Mariæburgi peſtis nondum ceſſaverat. Vices inter Mariæburgum & Graudentum a longo tempore ſervatas, Nobilitas palatinatus Pomeraniæ æqualitati, quæ inter omnes palatinatus obtinet, derogare, noſtra ætate credens, inſtitit in conventu Graudentinenſi anno 1730 acriter, ut etiam in aliquo ſui palatinatus loco, ſive is Meva, ſive Dirſavia eſſet, conventus generalis celebraretur: ſed reliquis duobus palatinatibus antiquum morem, haud remiſſius tuentibus, ceſſit tum Pomeraniæ Nobilitas **, diſtulitque, quod poſtulaverat, in annum 1735, quo *laudum* obtinuit, ut tertius quisque conventus Mevæ habeatur, ſalva tamen Regis approbatione: qua nondum ſecuta, adhuc vices inter ſolas Mariæburgum & Graudentum ſervantur. *De conventu generali etiam in Pomerania palatinatu habendo.* (Q)

* Hiſtor. Pruſſ. IX. 367. 377.

** Hiſt. Pruſſ. IX. 379.

§. 46.

De Regiis literis, quibus ad conventum vocantur Ordines. Litteræ Regiæ, quibus Ordines ad conventum vocantur, ex *Cancellaria* Regni, ſive majore, ſive minore, prodeunt, quas a. 1676. utroque Regni Cancellario ab aula abſente, Litvaniæ Procancellarius curavit. Quare *Cancellariæ* Regni eſt, providere, ut litteræ illæ juſto tempore in Pruſſiam mittantur; ut in iis locus & dies conventus exprimatur; ut ad

omnes,

omnes, qui ſigillatim vocandi ſunt, dentur; neque potiora, de quibus in conventu deliberandum, ſileantur. Mittuntur litteræ omnes, ad Epiſcopum Varmienſem, tanquam Pruſſiæ Præſidem, ſi jam juravit, ut ſingulas ad eos, quorum nomina præferunt, curet. Epiſcopo Varmienſi nondum jurato, deferuntur ad primum ex Conſiliariis juratis. A. 1726 cum nullus ex Conſiliariis juraſſet provinciæ, litteræ omnes ad civitates majores miſſæ ſunt, quarum quæque ad ſui palatinatus Conſiliarios & civitates minores eas deferri curabat, ſimul quæ ad Nobilitatem datæ, ad civitates minores, quæ eas ex ſuis actis, quibus inſertæ, miniſteriali (Wozny) publicandas tradiderunt. Sed a. 1728 ad Varmienſem Epiſcopum mittebantur litteræ, licet nondum juraſſet, quod etiam poſtea factum eſt.

Ad quem in Pruſſiam mittantur.

§. 47.

Qui ad conventum confluunt, habent hoſpitia gratuita, quæ a civitatis Magiſtratu cuique aſſignantur, decretumque a. 1681 ab Ordinibus, ut illa eſſent perpetua, neque mutarentur. Locus conventus ordinarius, eſt curia, ubi conclavia duo, alterum pro Conſiliariis, pro Nuntiis terreſtribus alterum, antiquitus conſultationibus deſtinata, quæ non

Hoſpitia pro iis, qui conventum adeunt.

(R)

non temere mutanda ſunt. Cum ergo initio Interregni a. 1733 Mariæburgenſis Magiſtratus, ob multitudinem præſentium, aliud idque ſpatioſius pro Conſiliariis inſtruxiſſet conclave, orta eſt inter Ordines diſſenſio, Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, majoribusque civitatibus cum Nobilibus aliquot novum, Succamerariis & maxima Nobilitatis parte, vetus ingredientibus, quaſi priſtinum conclave, niſi omnium conſenſu, mutari haud debuiſſet. Poſt mutuas expoſtulationes, quibus conventus ante ipſum initium in diſcrimen adducebatur, convenit, ut omnes, quique ex ſuo conclavi, in atrium congrederentur, indeque una ſe in novum conclave conferrent, ut mutatio probari videretur ab omnibus. Interdum, quando numerum præſentium conclavia in curia non capiunt, cœptus in curia conventus, in templo continuatur, ut vel Nobilitas in templo deliberet, curiamque repetens conſiliariis ſe jungat, conventumque finiat; vel Conſiliarii, poſtquam ſuas conſultationes in templo Nobilitas finiit, eo ſe conferant; vel cœptus continuatusque in curia conventus, junctis ibidem conclavibus, in templum transferatur. Interdum etiam totus conventus in templo peragitur, niſi quod Conſiliarii, ut ſeor-

Ordinarius conventuum locus, illisque deſtinata conclavia.

Conſultationes ſæpe ex curia in templum translatæ.

seorsum censeant, in curiam secedant, hocque facto in templum ad Nobilitatem redeant. Exempla anni 1587. 1606. 1607. 1633. 1648. 1668. 1669. 1670. 1683. 1696. 1713. 1730. 1733. suppeditant. Cœptus a. 1710 in Olivensi monasterio, & in Schotlandiam veterem, prope Gedanum, translatus conventus, non alibi quam in utriusque loci templo haberi poterat.

Ob quam rem datur cautio.

Quando autem ex curia in templum transfertur conventus, solet, monentibus civitatibus majoribus, a Præside conventus, cautio dari, ne eo receptæ consuetudini, per quam conventus in curia peragendi sunt, derogetur.

(S)

Colloquium de conventu in templo habitum.

A. 1644 non conventus, sed colloquium, num conventus generalis, rupto Culmensis palatinatus particulari, celebrari possit, in templo habitum, & tamen Episcopus Culmensis, qui colloquii Præses, cum Pomeraniæ Palatino & Castellano Elbingensi, coram judicio civili Graudentinensi declaravit, non debere hoc exemplum juribus & consuetudinibus, quoad ordinaria conventuum loca, officere *.

Conventus in privata domo, curia & templo,

Fuit a. 1662 Mariæburgi in privata domo, Varmiensis Episcopi absentis hospitio, conventus, ob Culmensis Palatini, qui conventus Præses erat, afflictam valetudinem **. Ante comitia convocationis, a. 1674 in conventu

ventu Mariæburgensi, Consiliarii in Episcopi Varmiensis hospitio, Nuntii Nobilitatis in curia deliberabant, quo facto Ordines sua consilia in templo jungebant: quos a. 1670 Graudenti, vis frigoris intolerabilis, conventum ex curia in adjacentem scholam transferre adegit, qui in curiam redierunt, cum frigus remisisset ***.

in schola & curia.

* Hist. Pruss. VI. 210.
** Hist. Pruss. VII 295.
*** Hist. Pruss. VIII. 28.

§. 48.

Quando incipi debeat conventus.

Conventum, die ad quem indictus, matutino tempore, sacris peractis, incipiendum esse, leges a. 1669 & 1670 præcipiunt: quibus quidem, quoad diem, sæpe tamen quoad diei tempus haud obtemperatum, cum conventus post meridiem & circa vesperam cœperint.

Non posse incipi conventum, nisi omnes palatinatus adsint, & Regis Legatus advenerit.

Duo autem ad initium conventus exiguntur, omnium palatinatuum præsentia, & Regii Legati adventus. Absente enim uno palatinatu, conventum haberi non posse, supra demonstratum est, simul ad exempla responsum, quæ contra regulam allegantur. Adventus legati Regii ideo necessarius est, quia Rex per Legatum suum ad Ordines, de quibus deliberandum, refert, illisque consulendi facultatem dat: quare conventus auctoritas,

ritas, ſeu, ut noſtrates loquuntur, *activitas*, ab adventu Legati pendere dicitur, & a. 1647. 1651. 1658. 1660. 1661. 1672. 1678. 1712. ob Legati abſentiam, conventus inchoatus non eſt.

§. 49.

De Conſiliariorum in conventibus præſentia. Quod ad Conſiliariorum præſentiam, poſſunt plures, poſſunt pauciores adeſſe, imo exempla docent, ad conventus ſucceſſum ſufficere, ſi unus, ſive Epiſcopus, ſive Palatinus, ſive Caſtellanus, ſive Succamerarius, præſens, & non omnes civitates majores abfuerint. Conventus antecomitialis a. 1627, uno Succamerario; poſtcomitialis a. 1629 Palatino Culmenſi; poſtcomitialis a. 1638 Caſtellano Culmenſi; poſtcomitialis a. 1642 Palatino Pomeraniæ præſente, habitus eſt. Contra a. 1636 conventus poſtcomitialis fruſtra indictus erat, quia Pomeraniæ Succamerarius, qui præter majores civitates, ex Conſiliariorum numero, ſolus præſens, conventui præſidere nolebat, & prolatus ad 21 Martii 1650 poſtcomitialis conventus, quia ex Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, & Succamerariis nemo aderat, cœptus non eſt. Civitatum majorum una, etiam duæ, ſalvo conventu, abeſſe poſſunt, cum unius ſufficiat præſentia. Quæ abeſt civitas, excuſat Ordinibus abſentiam litteris, civitatibus præſentibus, quid in conventu curandum commendat, & unum aut duos Secretarios mittit, qui conſultationibus auditores interſint. Si nulla civitatum adeſt, conventus non habetur, ut a. 1688. 1696 & 1697 factum. Omnibus enim abſentibus, non adeſt ſigillum, non adſunt Secretarii, qui acta publica ſcribant, ac alia, quæ ab his fieri ſolent, peragant.

§. 50.

Ordinitur conventum Conſiliariorum primus, ſi juratus. Sæpe Ordines, antequam ſe in curiam conferunt, apud Varmienſem Epiſcopum, aut eum, qui, illo abſente, conventui præſidet, colloquium habent, ut privatim removeant, quæ ſucceſſum conventus ſiſtere poſſint, ac finito colloquio una in curiam eunt. Quando ſine ejusmodi colloquio, ſinguli curiam petunt, congregatis cæteris, conventus Præſes, majores civitates in conſeſſum invitari curat. Ordinarius, ut dictum ſupra, Præſes eſt, Epiſcopus Varmienſis, ſed ſi ille abſens, ejus vices ſubit, inter Conſiliarios juratos primus. Ut enim Conſiliarius non juratus, facultatem cenſendi haud habet, ita multo minus ei præſidium permittitur, quo ipſe Varmienſis Præſul ante jusjurandum abſtinet. In conventu Mariæburgenſi a. 1728, Varmienſis Epiſcopus, poſtquam juraſſet, præſi-

præſidium ſuſcipiebat, quod antea geſſerat alius. Quando autem præſidere cœpit Conſiliarius juratus inferior, cedit præſidio ſuperiori, ſtatim ac is juravit. Aſſident Conſiliarii menſæ, Præſes in fronte, cæteri utroque latere; Palatini, Caſtellani, Succamerarii ſuperiore, civitates majores inferiore: quæ quando rogatæ, ut ſuperiore poſt Conſiliarios reliquos conſiderent, antiqua loca retinere maluerunt, cum, ne quod longo uſu receptum mutarent, tum, ne ſuas ſedes, tanquam vacuas, occuparent Nuntii terreſtres aut Nobiles alii, & de novis, ideo quia novæ, lis moveretur. Spatio, quod in utroque menſæ latere vacuum reſtat, conſident nobiles, & quidem dignitate potiores, reliqui circumſtant. *Secretarii* civitatum majorum, poſt earum ſellas ſtantes, in pugillares, quæ vident audiuntque, referunt, ut ex iis acta in conventu, quibus *receſſus* nomen imponitur, perſcribant. Conventum Præſes brevi oratione, pro tempore, orditur, erantque a. 1728 Ordines incerti & diſcordes, quis eum inciperet, nullo, præter majores civitates, ex Conſiliariis jurato, & Nobilitate hunc honorem civitatibus invidente: quæ cum ſponte ceſſiſſent, placuit, ut Palatinus Culmenſis, nondum juratus, novo plane exemplo,

Quo ordine Conſiliarii ſedeant.

Novum exemplum cœpti conventus a Conſiliario non jurato.

exemplo, conventum *paſſive*, hoc eſt, ſine plena auctoritate Præſidis, & quaſi Præſes inchoaret, præeſſetque conventui *paſſive*, donec Varmienſis Epiſcopus juraſſet. Civitatibus autem majoribus, non tantum, quod id permiſiſſent, gratiæ actæ, ſed etiam jus ordiendi conventum, nemine ex ſuperioribus Conſiliariis juratis præſente, in poſterum aſſertum, & in ſequenti conventu, quia præſens ruptus, *laudo* firmatum eſt.

Jus hoc civitatibus aſſertum, Conſiliariis ſuperioribus non juratis.

(T)

§. 51.

Eſt autem Præſidis officium, non ſolum conventum incipere, ſed etiam dirigere; conſeſſibus horam deſignare, & eosdem ſolvere; Regio Oratori, expoſita legatione, reſpondere, ac ipſum conventu, ſive rupto, ſive finito, ſive prorogato, dimittere; Conſiliarios ſententias rogare; cenſendi extra ordinem facultatem concedere; Nuntiis Conſiliariorum nomine reſpondere; diſſentientes componere & pervicaces flectere; ut omnia modeſte & decenter fiant attendere; ſi quid ipſi ab Ordinibus in rem provinciæ commiſſum, ad Regem deferre; aliaque peragere.

Quæ Præſidis munia.

§. 52.

Conventu cœpto, ſeu *fundato*, ut loquuntur noſtrates, Conſiliarii novi, ſi qui ſunt, jurant, fiuntque ſuo ordine cæte-

Quo ordine conven-

tus per-agatur.

cætera, quæ fieri uſus docet, & Regis VLADISLAI IV. decretum a. 1647 exigit, quo nempe præcipitur: ut Ordines, poſtquam in unum conclave convenerunt, litteras ad ſe datas legant; deinde Regium Legatum audiant; eo audito & in ſuum hoſpitium deducto, illo die publicas conſultationes omittant; Nuntii vero reliquum ejus diei, conferendis inter ſe mandatis ſuis, quantum temporis ratio permiſerit, impendant; ſequenti, in ſuo conclavi conſultationes peragant, peractisque, & ubi Conſiliarii cenſendi finem fecerunt, in horum conclave redeant; ibi per ſuum *Directorem* ſeu Marſchalcum, de quibus inter ipſos conveniſſet, exponant; collatisque ſententiis cum Conſiliariis, Ordines omnibus conſentientibus decernant: ita ut neque reſponſo Regio Legato dando, neque mandato ad comitia, neque *laudo*, quo tributa imperantur, quicquam inſeratur, niſi quod ab omnibus conſtitutum approbatumque ſit *. In hoc tamen uſus a Regio decreto diverſus eſt, quod lectio litterarum ad conventum, Regis legationem non præcedat, ſed ſequatur, aut poſt Nuntiorum ſub ſuo Marſchalco ad Conſiliarios reditum, differatur.

* Hiſtor. Pruſſ. VI. Docum. p. 154.

§. 53.

§. 53.

Legatus Regius.

Quia Rex cum Pruſſis per Legatum agit, præſentia ejus in conventu maxime neceſſaria eſt, ita ut illo abſente, quod antea monuimus, conventus haberi nequeat. Legatus vel eſt eccleſiaſticus vel *ſæcularis*, infra Senatoriam dignitatem, olim etiam miſſus Senator, imo, quia interdum legatus non unus, Senatores.

Legati duo, alter ordinarius, extraordinarius alter.

Quod ad recentiora tempora, a. 1662 Jo. Gębicius, Plocenſis, & a. 1674 Thom. Ujeyſcius, Kiovienſis Epiſcopus, Senatores ambo, titulo legatorum extraordinariorum aderant, priorque cum alio legato ordinario veniebat, hocque audito, ipſe poſt Marſchalci electionem, majore comitatu, quam ordinarius, in conſeſſum Ordinum deducebatur; poſterior ſolus, & quidem a Rege nondum inaugurato, cui idem honor habitus, qui ordinario Regis inaugurati Legato.

Extraordinarius ſine ordinario.

Miſit a. 1673 Rex MICHAEL extraordinarium Legatum, non Senatorem, ſine ordinario, nempe Stan. Buzenſcium, Gneſnenſem Canonicum & Cancellariæ Regentem, qui eodem, quo ſolent ordinarii, modo auditus eſt.

Duo ordinarii, ex quibus unus pro Legato habitus.

Pro uno, in conventu antecomitiali a. 1655 duo aderant Legati ordinarii, non uno tempore, nec in unum conventum a Rege deſignati, ex quibus Ordines pro legato habuerunt,

runt, qui tempore posterior, cui alter honore sponte cedebat. A. 1636. Regius Orator simul Nuntius *terrestris* erat, qui legatione exposita, in conclave Nuntiorum se conferebat, quod ferebant Ordines, ne tamen idem in posterum fieret, quodque jam a. 1581 factum erat.

Legatus simul Nuntius terrestris.

Litteræ pro Legato, cum mandato Regio, a. 1673 Mariæburgensi Palatino redebantur, sine Legati nomine, pro quo vacuum erat relictum spatium, quod Palatinus Nobilis cujusdam, Matth. Radomicii, nomine explebat: & anno 1712 erat in conventu Graudententinensi Legatus Franc. Czapscius, cujus neque in litteris, quibus fides Legato conciliatur, vulgo *credentialibus*, neque in mandato Regio fiebat mentio.

Legatus, cujus nomen in Regiis litteris & mandato non legebatur.

§. 54.

Audiendus Legatus, primo conventus die, multa adhuc luce: quod cum a. 1643. nonnulli in sequentem diem differri vellent, plerique contradicebant, recte id fieri negantes. Contigit tamen ut die non primo, & tempore vespertino Legatus audiretur: quod a. 1595 & 1710 postridie, a. 1728 quarto & 1730 tertio die; a. 1671. & 1699 post solis occasum factum est. A. 1652 ob tardiorem Legati adventum, in alterum diem differebatur conventus, ut eodem quo inciperet,

Quando Legatus audiendus.

Auditur interdum serius.

Ob ejus absentiam conventus

inciperet, audiretur Legatus, & 1735 ob Legati absentiam, primum consessum dissolvebant Ordines, ac cum interea advenisset, ad ipsum audiendum, circa horam septimam vespertinam, curiam repetebant.

initium dilatum.

§. 55.

Non licet Legato ultro in consessum venire, sed manendum ipsi in hospitio, donec invitatus deducatur. Hinc a. 1630 infecto negotio, redeundum Legato in hospitium, quod non arcessitus venisset; contra a. 1634 auditus Legatus, qui non invitatus, cum Nuntiis terrestribus accesserat, qui tamen honoris causa, in hospitium reducebatur. Comitantur legatum, sive adducatur in consessum, sive reducatur in hospitium, unus ex Succamerariis, illorum, qui singularum civitatum majorum nomine adsunt, secundi, & ex Nobilitate, quibus ire placet: interdum præter Succamerarium, Castellanorum unus hunc honorem Legato habet. Proximo sæculo, aliquoties cum secundis, etiam primi civitatum majorum, urgente Nobilitate, comites iverunt, sed rediit hoc officium ad solos secundos. Erat extraordinarium quid, cum in conventu die 30 Decemb. a. 1648 habito, Regis nondum inaugurati Legato, cum Castellano uno, duo Succamerarii

A quibus Legatus in Ordinum consessum deducatur & in hospitium reducatur.

rii adeſſent; ut odio in Legatum factum, quod a. 1676 nemo ex Nuntiis comitari vellet, cui duo Succamerarii, & qui a civitatibus majoribus aderant ſecundi, hoc officium præſtabant. In locum abſentium Caſtellanorum & Succamerariorum omnium, a. 1652 Capitaneus Engelsburgenſis, ſeu Pokrzywnicenſis; ſed in alio conventu ejusdem anni, cum iterum omnes Caſtellani & Succamerarii abeſſent, nemo ſuffectus eſt. Sæculo decimo ſexto, ad deducendum Legatum unus Succamerarius, & alter ab Elbingenſibus miſſorum abhibebantur, & cum a. 1584 ante finem conventus, unus, qui adfuerat Succamerarius, jam diſceſſiſſet, nolebat Legatus ex ſuo hoſpitio in Ordinum conſeſſum redire, priusquam pro Succamerario, Caſtellanus Culmenſis ad deducendum veniſſet * Quando tamen illo ſæculo, aut unus, aut duo Senatores mittebantur Legati, deducentium numerus augebatur, inter quos præcipuus Palatinorum unus erat **. A. 1662 Plocenſi Epiſcopo, Legato extraordinario, is habitus honor, ut omnes, qui a civitatibus majoribus aderant ſimul deducerent. In conventu poſtcomitiali a. 1683 ſoli, qui civitatum majorum nomine præſentes, ſecundi, Legatum Regium ordinarium in hoſpitium reducebant, quoniam nemo ex

ex reliquis Conſiliariis & omni Nobilitate, ipſi hoc officium præſtare volebat ***.

* Hiſt. Pruſſ. III. 449.
** Hiſt. Pruſſ. III. 118. 299. 356.
*** Hiſt. Pruſſ. VIII. 229.

§. 56.

Legatus litteras & mandatum Regium Ordinibus exhibet.

Deductus in conſeſſum Legatus, ad Præſidis dexteram conſidet, & Ordines alloquitur, quo facto, litteras legationi fidem conciliantes, ſeu *credentiales*, Regiumque mandatum, quod ut litteræ, latine ſcriptum, exhibet. Reſpondet ad ſermonem Præſes, ac litteras cum mandato Thorunenſis *Secretarius* legit. Peracta lectione, Legatus in hoſpitium reducitur, ut ibidem ſucceſſum conventus exſpectet: reverſis, qui ipſum comitati, epiſtolæ ad conventum, ſi tempus permittit, leguntur, ac conſeſſus ſolvitur. *Legatus ſine mandato.* Mandatum Regium, alias *inſtructio*, ea continet, de quibus Rex Ordines conſulit, & quæ ab iis fieri præcipit, ſine quo cum Legatus a. 1670 veniſſet, id inter cauſas conventus irriti referebatur. A. 1700 Legatus in hoſpitio mandatum reliquerat, quod inde, ipſo in conſeſſu commorante, petebatur legebaturque.

§. 57.

De legatione Conſi-

Jam olim, poſt Legati in hoſpitium ſuum reditum, Nuntii in ſuum conclave

liarii censent, absentibus Nuntiis terrestribus, qui illorum sententiis auditores interesse, frustra conati sunt.

ve secedebant, Marschalcum electuri ac deliberaturi, dum Consiliarii ad censendum in suo manerent. Circa finem sæculi decimi sexti, detrectabant Nuntii in suum conclave se conferre, ac Consiliarios solos relinquere, quorum sententiis auditores interesse volebant. Sed Consiliariis veterem morem fortiter constanterque tuentibus, agitata est hæc controversia per longum SIGISMUNDI III. regnum, & fere ad exitum VLADISLAI IV. qui ita eam a. 1647 composuit, ut audito Legato Regio, consultationes publicæ in Consiliariorum conclavi cessarent, Nuntii vero reliquum ejus diei, conferendis mandatis suis impenderent, ut §. 52. dictum est.

Civitates antea inter se sua mandata conferunt.

Dum ergo Consiliariorum sententiæ in posterum diem differuntur, majores civitates apud Thorunenses, aut his absentibus, apud Elbingenses, mandata inter se conferunt, quæ si diversa, ut conveniant, annituntur. Ejusmodi colloquio *Secretarii* auditores adsunt, qui etiam admittuntur, si ab aliqua civitate non Magistratus, sed soli *Secretarii* venerunt, ut vicissim exponant, quod sibi injunctum.

§. 58.

Marschalci Nuntiorum electio.

Nobilitas Nuntii, aut ad exemplum Consiliariorum, publicis sepositis, in hospitia sua redeunt, aut in suum conclave

clave ad electionem Marschalci se conferunt, quæ ante omnia peragenda est, quoniam sine Marschalco, Nuntii facultate consultandi destituuntur.

Marschalcus olim orator dictus.

Priscis temporibus appellabatur Orator, quod Nobilitatis nomine orabat, seu verba faciebat. Marschalci vocabulum, in actis publicis primum a. 1585 occurrit, cum Jus Culmense retractandum esset, & interjectis annis octodecim, in conventu antecomitiali a. 1603 iterum *; a quo tempore nomen hoc mansit.

Quis ante Marschalci electionem Nuntiorum conclavi præsit.

Quia vero ante electionem Marschalci opus est, ut aliquis conclavi Nuntiorum præsit, qui de eligendo Marschalco referat, sententias roget, & majore suffragiorum numero electum declaret, prioris conventus Marschalcus, munere hoc ad electionem novi fungitur: quo absente, alius interea & quidem ex illo palatinatu, ex quo fuit prior, ad preces Nuntiorum ejus vicem subit, quod, ut alia exempla taceamus, conventus Graudentinensis a. 1684 & conventus a. 1710 Gedanum prorogatus docent. Cum a. 1728 ad conventum antecomitialem, non Nobilitatis Nuntii, sed Nobiles, qui vellent, singuli venissent, ac ignoraretur, ex quo palatinatu ultimus Marschalcus fuisset, placuit, ut qui dignitate prior, Nobilitatis conclavi ad Marschalci electionem præ-

Qua occasione, lis inter Enſiferum & Vexilliferos Pruſſiæ.

eſſet. Tum vero lis inter Enſiferum & Vexilliferos, utrius dignitas prior eſſet, donec Vexilliferi cederent. Conventu illo ante electionem Marſchalci rupto, a. 1730 inter Enſiferum & Vexilliferos de dignitate novum certamen, hisque iterum cedentibus, præfuit Enſifer Nobilitati, donec Mareſchalcus electus eſſet: quod pariter in conventu a. 1735, Marſchalco priore per morbum abſente, accidit. In conventu Mariæburgenſi a. 1713 aderat prioris conventus a. 1712 celebrati Marſchalcus, Bagniewſcius, ſed quia Nobilitas hunc conventum pro legitimo non habebat, ejus Marſchalco munere ſuo ad electionem novi fungi haud permittebatur, quo non refragante, partes ejus Rybinſcio, ex Pomeraniæ palatinatu, ex quo Marſchalcum eligere placebat, interea mandabantur **. Electio, quæ ut dictum, in Nuntiorum conclavi fit, a. 1699 in conclavi Conſiliariorum, poſt horum disceſſum peracta eſt. Non autem Marſchalcus ex omnibus eligitur, ſed ex uno palatinatu, per vices, cum olim Nobilitatis Orator, qui poſtea Marſchalcus appellatus, ex ſolo Culmenſi fuerit, munere hoc, qui inter illius palatinatus Nobiles primus, mandato. Sed in conventu ante comitia electionis a. 1648 crediderunt Mariæburgenſis palatinatus Nuntii, nominandum

Marſchalcum ex ſingulis palatinatibus per vices eligi.

eſſe Marſchalcum ex palatinatibus ſingulis, ſuo inter eos ſervato ordine, obtinueruntque, ut tum Marſchalcatus ſui palatinatus Nuntio, Nic. Bkovſcio, deferretur ***. Diſcordantibus a. 1651 de Marſchalco Nuntiis, adverſus futuras contentiones, in remedium commendatum eſt, ut Marſchalcus non ex uno, ſed ex omnibus palatinatibus, per vices peteretur ****: quod conſilium poſtea valuit. Quare non quidem per legem aliquam ſcriptam, ſed per conſuetudinem, honor ille Marſchalcalis ex uno ad alium palatinatum migrat, ut ſi fuerit Marſchalcus ex Culmenſi, ſequatur ex Mariæburgenſi, hunc excipiat ex Pomeraniæ palatinatu, & tum ordo ad Culmenſem redeat. Nonnunquam vices hæ turbatæ ſunt, cum enim in conventu poſtcomitiali a. 1670 Marſchalcus ex palatinatu Pomeraniæ creari debuiſſet, creatus ex Culmenſi, quod crederent Nuntii, in primo, poſt novi Regis inaugurationem, conventu, Marſchalcum ex primo palatinatu eligendum eſſe. Erat a. 1710 Marſchalcus ex Pomeraniæ palatinatu, in proximo conventu ex Culmenſi, hunc, Mariæburgenſi omiſſo, ſequebatur a. 1713 ex Pomeraniæ palatinatu, & a. 1730, cum interea nullus eligi potuerit, iterum ex hoc palatinatu. Ex quo tempore vices ſervatæ,

Quod non ſemper factum.

vatæ, cum a. 1733 ex Culmenſi, a. 1734 ex Mariæburgenſi, & a. 1735 ex Pomeraniæ palatinatu Marſchalcus fuerit. Qui ergo jam poſt annos viginti duos exſpectatur conventus generalis, ex Culmenſi palatinatu Marſchalcum habebit.

* Hiſtor. Pruſſ. III. 467. IV. 338.
** Hiſtor. Pruſſ. IX. 281.
*** Hiſtor. Pruſſ. VII. 22.
**** Hiſtor. Pruſſ. VII. 71.

§. 59.

Quid a Marſchalcatus candidato exigatur, & quid ejus electionem difficilem reddat.

Candidatum Marſchalcatus oportet, in palatinatus ſui conventu particulari præſentem fuiſſe, & in eodem ſuo palatinatu, bona equeſtria habere, cujus electionem interdum, diverſum pro competitoribus ſtudium arduam reddit, ruptusque eam ob cauſam in ipſa electione a. 1728 conventus, ac ſequens a. 1730 idem habuiſſet fatum, niſi competitorum alter, duo enim erant, ſponte ceſſiſſet *. Electio quando peracta eſt, per ſingulos ex palatinatibus Conſiliariis nuntiatur.

Marſchalci munia, quæ toto conventu exercenda.

Marſchalcus ad Nuntios refert de quibus deliberandum; ſententias rogat; cenſendi dat facultatem; diſſentientes componit; de quibus eſt conſenſus notat; quando plures conſultando dies abſumuntur, Nuntios dimittit, & ſequentis conſeſſus horam ſtatuit; Conſiliarios conclavis ſui nomine compellat, & quæ ibi

ibi placuerunt ſingula recitat &c. Hoc ſuo munere toto conventa fungitur, & ſi ante ejus finem abit, ſurrogat ſibi ex ſuo palatinatu vicarium: quales in conventibus, ut plures omittam, anno 1661. 1680. 1681. 1683 occurrunt: & cum a. 1681 ſuffectus Marſchalcus, conventus finem expectare non poſſet, ſibi ſurrogavit alterum.

Abeunti ante conventus finem, alius ſufficitur.

In ſingulis conventibus Marſchalcus eligitur, idque de novis conventibus intelligendum eſt. Nam ſi conventus fuerit prorogatus, hoc eſt, ſi jam cœptus, ſed interruptus, continuatur tempore alio, manet ad conventus finem, qui illo cœpto Marſchalcus electus eſt. Quare a. 1700 Marſchalcus munus ſuum retinebat, conventu in ſequentem annum prorogato, neque in Olivenſi conventu a. 1710 electus, deſinebat Marſchalcus eſſe, cum conventus, bis, primum in veteri Schotlandia ad Gedanum, deinde in ipſa hac urbe continuaretur.

Manet Marſchalcus in conventu prorogato.

Cæterum Marſchalcum omnes colunt & reverentur, ut ipſum verbis aut factis lædere grande habeatur nefas: cui cum a. 1682 Nuntius in platea alapam a tergo impegiſſet, facinus hoc a conclavi Nuntiorum ita vindicatum, ut auctor, præter multam & ſex hebdomadum in turri cuſtodiam, injuriam publice deprecaretur, & in præſenti conventu jure cen-

Erga Marſchalcum reverentia.

ſendi careret, ac niſi decreto paruerit, in nullo unquam conventu cenſendi facul-

Honorarium ipſi decretum, aut promiſſum.

tatem haberet **. Noſtra ætas nonnunquam Marſchalco etiam honorarium decrevit, ut Mart. Chełſtovſcio, qui in conventu Gedanum a. 1710 prorogato, Marſchalcatum pro alio geſſit, & in conventu Mariæburgenſi a. 1713 Marſchalcus ipſe electus, nummos aureos

(V) quingentos. Meldzynſcio conventus a. 1730 Marſchalco, in conventu a. 1733 honorarii ſpes facta eſt: & a. 1735 Marſchalco, Thom. Grąbczevſcio, Ordines *laudo* gratum animum declararunt, ita, ut ſummam, quæ præſtanda eſſet, ſummæque ſolutionem, ſequenti conventu poſtcomitiali conſtituere vellent: non tamen poſtcomitialis ille, neque alius ex illo tempore conventus habitus eſt, ut promiſſum impleri potuerit.

* Hiſtor. Pruſſ. IX. 369. 377.

** Hiſt. Pruſſ. VIII. 220.

§. 60.

Quomodo & qua lingua Conſiliarii cenſeant.

Dum Nuntii in ſuo morantur conclavi, redeunt poſtridie, quam Legatus Regius auditus, in ſuum Conſiliarii, ut cenſeant: quod fit ſemotis arbitris, janua clauſa, ſolis majorum civitatum *ſecretariis* præſentibus, ut ſententias in pugillares ſuos referant. Primus cenſet conventus Præſes, ſequuntur ſuo ordine cæteri,

cæteri, olim lingua germanica, dein latina, jam polona, exceptis civitatibus, quæ adhuc latina utuntur. A. 1648 Palatinum Pomeraniæ, Denhofium, in conventu Mariæburgi die 25 Junii habito, germanice locutum invenimus, quod rarum illo tempore in Conſiliario equeſtris ordinis erat exemplum, fuitque ultimum. Civitates uſæ germanica lingua poſt medium ſæculi decimi ſeptimi, non quidem ſemper, interdum tamen, ac a. 1662 in antecomitiali conventu, Elbingenſes totam, Gedanenſes partem ſententiæ germanice dixerunt. Ex hoc tempore civitates latine cenſuerunt: niſi quod qui Thoruni nomine adſunt, in memoriam priſci moris, titulum, quo Conſiliarios compellant, germanice dicant, rogati tamen, ſtatim ſententiam ſuam latine ordiantur & abſolvant. Cæterum Thorunenſes a. 1647. 1654. 1712; Elbingenſes anno 1671. & Gedanenſes a. 1661. polonice cenſuiſſe, commentarii conventuum perhibent, addito: ne hæc ſua exempla receptæ conſuetudini derogarent.

§. 61.

Cura in priſcus in cenſendo

Dictis ſententiis, nihil conſtituunt Conſiliarii, ſed omnia, Ordini equeſtri integra relinquunt, ut ex ejus conſenſu decernantur. Ex hac cauſa Varmienſis

 Epiſco-

mos conservetur. Episcopus, Załuscius, a. 1708 privatam hanc Consiliariorum deliberationem supervacaneam existimans, persuadere conatus est, ut illa omissa, quid quisque sentiret, coram Nuntiis, post illorum sub suo Marschalco reditum, exponeret. Sed prævaluit mos perpetuus, qui hunc præstat usum, ut Consiliarii prius seorsum expendant, tum quæ Rex per suum Legatum retulit, tum quæ præter hæc provinciæ conducere videntur, ac inter se rationes conferant, quibus in assensum flectatur equestris Ordo. Nihilominus in Olivensi conventu a. 1710 ejusmodi consultatio non præcessit, civitatibus majoribus, ut præcederet, frustra monentibus: ne tamen in posterum omitteretur, Culmensis Palatinus cavit *.

* Histor. Pruss. IX. 255.

§. 62.

Nuntiorum consultatio in suo conclavi, qua finita, ambo conclavia junguntur. Interea Nuntii, mandatis palatinatuum inter se collatis, de Regia legatione ac aliis, sive publica, sive privata fuerint, deliberant, & quæ convenerunt, ut ad Consiliarios referantur, perscribi a Marschalco suo curant, cætera aut plane rejiciunt, aut in alium conventum differunt. Ubi finem suis consultationibus imposuerunt, nuntiatur id Consiliariis per singulos ex palatinatibus, ac Nuntii cum suo Marschalco sequuntur, hocque

hocque modo ambo conclavia junguntur, seu *combinantur*, unde actus ille, conclavium *combinatio* dici solet. Factum etiam est interdum, ut, si numerosior Nobilitas in templo consultavit, Consiliarii invitati, eo ex curia se contulerint. Marschalcus postquam ad mensam post Succamerarios consedit, Nuntiorum nomine Consiliarios oratione salutat, gratulatusque de conventus successu, lætum ejus finem precatur. Respondet Præses ad singula, laudes Marschalci silentio non transmittens, ut hic antea Præsidem laudaverat. Deinde leguntur litteræ ad Ordines datæ, & quidem in quarum lectionem Nuntii consentiunt: cum interdum fieri soleat, ut quædam ob eorum contradictionem non recitentur, ad quas si respondendum, responsio ex Ordinum mente scribitur. *Litterarum ad conventum datarum lectio.* Deinde, quæ in Nuntiorum conclavi placuerunt, Marschalcus ex scheda legit, ac, si iis Consiliarii annuerint, & ex Nuntiis nemo contradixerit, auctoritatem quam antea non habuerunt, obtinent. Quamvis enim in conclavi Nuntiorum consenserunt omnes, aut nemo dissensit palam, manet tamen cuivis coram Consiliariis dissentiendi facultas integra, ut sæpe quæ antea probarunt, aut probare visi sunt omnes, junctis conclavibus di- *Consiliarios & Nuntios inter se consilia conferre, nihilque nisi omnium consen-*

 spliceant

Su decerni. spliceant nonnullis. Quando jam dissensio est, certatur, interdum satis placide, sæpe fervide & verbis asperioribus imo minacibus. Tentant discordes componere Consiliarii, nec non ex Nuntiis aliqui, quorum si opera frustra est, & perstant in sua sententia, vel plures vel unus, cæteris non cedentibus, conventus rumpitur, & cuncta redduntur infecta: utque adeo ex omnium consensione, ne uno quidem excepto, lætus conventus finis pendeat.

§. 63.

Quæ ab Ordinibus decreta, litteris mandari. Quæ omnium consensu, nemine contradicente, decernuntur, majorum civitatum Secretarii litteris mandant, & in eam formam, qua publicantur, redigunt, quæ deinde, finitis consiliis, coram Ordinibus leguntur, ut moneant, si quæ mutanda aut addenda; soletque sæpe nova concertatio oriri, antequam in eundem sensum conveniant omnes. *Scripta varia illorum nomine publicata.* Sunt autem, quæ exarata leguntur, responsa, tum ad legationem Regiam, tum ad litteras receptas; mandata seu *instructiones* aut pro Legatis, si qui ad Regem extra ordinem mittendi, aut pro Nuntiis ad Regni comitia; lauda provinciæ & epistolæ ad diversos. Ut enim Regius Legatus scripto exhibet, de quibus Rex ad Ordines refert, ita congruens est, ut simili

mili responso dimittatur. Mandata pro Legatis ad Regem, ea continent, de quibus apud Regem agendum, & mandatorum pro Nuntiis ad comitia, fiet iterum mentio, quando speciatim de conventu antecomitiali sermo erit. Lauda, vocabulo minus latino, per usum tamen recepto, vocantur Ordinum scita, vel toti provinciæ, vel ejus parti, vel privatis servientia, titulumque *Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ* præferunt, habentque legis auctoritatem. *Laudum & laudare vocabula.* Quod ad ipsum eorum nomen, repetendum id ex latinitate *infima*, qua sententia arbitri *laudum* appellabatur, & *laudare*, quando arbiter sententiam suam declarabat; nostratibus placuit, *lauda* & *laudare*, quæ alias decreta & decernere nominantur, dicere. Quæcunque autem scripta ex generalibus conventibus, omnium Ordinum nomine prodeunt, latina lingua prodeunt.

§. 64.

Postquam scripta illa publice lecta & approbata sunt, Regius Legatus iterum ex suo hospitio in consessum adducitur, cui Præses, quæ in legationem decreta, tum alia, voce breviter exponit, ac Ordines totamque provinciam Regiæ clementiæ commendat. *Quando Legatus Regius dimittatur.* Respondet Legatus: se Regi ralaturum omnia, navatamque

tamque Ordinum operam laude ac gratiarum actione prosequitur, eorum favorem sibi expetens, ac finito sermone, in hospitium, comitantibus, qui adduxerant, redit. Interdum dono afficiendum esse decernitur, oblatique per lauda, a. 1680 ducenti, a. 1687 & 1734 centum nummi aurei, quod quo minus a. 1713 fieret, quorundam contradictio impedivit. Anno 1735 Legatus *laudum gratitudinis* obtinuit, sed qualis illa gratitudo futura & quando præstanda esset, id proximo conventui postcomitiali servatum est, quo non habito, nihil constitui potuit. Legato dimisso, Præses & Marschalcus sermone finem conventui imponunt, Ordinesque templum adeunt, ut DEO gratias acturi, hymnum Ambrosii concinant.

Donum pro eo interdum decretum aut promissum.

Finis conventus.

§. 65.

Superest, ut acta publica a majorum civitatum *Secretariis* describantur, illisque sigillum provinciæ imprimatur: ex quibus Responsum ad legationem, Regio Legato in hospitio exhibetur. Describuntur acta publica aliquoties, quorum unum exemplum in tabulario seu *archivo* Prussico, quod Thoruni est, servatur, & majores civitates singulæ, unum pro se recipiunt, præcipitque *laudum* a. 1708, ut ad singula palatinatuum castra unum deferatur:

Acta publica describi.

deferatur: quod ante hoc *laudum* in usu fuisse, conventus Graudentinensis a. 1701 commentarii testantur, memorantes, moris esse, acta publica septies describi, ter pro castris palatinatuum, toties pro majoribus civitatibus & semel pro tabulario Prussico. Tabularium hoc, cui locus in curia Thorunensi, immisso a Suecis, qui civitatem obsidebant, igne, a. 1703, cum curia exustum, ut quod sæcula cumulaverant, una dies absumeret, uno commentariorum *conventualium* volumine, paucisque chartis aliis, quas privati inde receperant habebantque, superstitibus. Quam jacturam, ut aliquo modo Ordines sarcirent, per *laudum* a. 1708 constituebant, ut coram Culmensi Succamerario tribusque Nobilibus, a Magistratu Thorunensi lustrarentur ac consignarentur, quæ ex incendio illo superessent acta publica, & civitates reliquæ majores rogarentur, ea, quæ haberent, cum Thorunensi civitate pro tabulario provinciæ communicare: quod laudum a. 1712. 1730 & 1733 repetitum; nulla tamen lustratio secuta est, cum interea Thorunenses conventuum acta publica, Gedani suis sumtibus describi curaverint. (x)

Quot illorum exempla parari debeant.

Provinciæ tabularium Thoruni, quod exustum instaurari debuit.

§. 66.

§. 66.

Actis publicis præsigillum Prussiæ imprimitur.

Sigillum, quod cera rubra suppositа, actis illis publicis imprimitur, præfert Prussiæ insigne, quod est aquila, erecto collo corona cincto, ac alis expansis, sub quarum dextera, eo quidem loco, ubi corpori jungitur, armatum brachium, ensem evaginatum supra caput vibrans, prodit.

De sigillo & insigni Prussiæ.

Cœpit suo sigillo uti Prussia, ex quo tempore sub Regis Poloniæ ditionem concessit, cui etiam insigne hoc suum debet. Prima ad sigilli marginem erat inscriptio: *S. Gubernatoris Terrarum Prussie*, manebatque vetus illa cum sigillo inscriptio, etiam Gubernatore dudum abrogato, in annum 1613, quo Gedanensium sumtibus novum cum titulo, *Sigillum Terrarum Prussiæ* sculptum, & ab Ordinibus probatum, veteri corrupto, ne quis uti posset, & Præconsuli Gedanensi, Bart. Schachmanno, ut in pinacotheca sua asservaret, tradito *, novum vero Elbingenses, qui post Gubernatorem vetus custodiverant, receperunt.

In cujus custodia sigillum.

Pro sigillo provinciæ, annuli privatorum.

Horum civitate a. 1626 a Suecis occupata, interruptoque cum Prussiæ Ordinibus commercio, usus sigilli aliquot annis cessavit, in cujus locum privati annuli, Præsidis conventus, unius ex majoribus civitatibus & Marschalci Nuntiorum successerunt,

cesserunt, quibus scripta in conventibus signabantur; quorum exempla *documentis T. V. historiæ Prussiæ*, sub 1626 & sequentibus annis, usque in annum 1631 inseruimus. Anno 1632 cum per inducias sexennales Sueci Elbingam retinuissent, novum sigillum, quod iterum curaverant Gedanenses, a priore non diversum, nisi quod annus MDCXXXI. quo sculptum additus, Ordines probarunt, ac Gedanensibus custodiendum tradiderunt: quod a. 1636 ad Elbingenses migravit, civitate, prorogatis a. 1635 induciis, a Suecis restituta, pro quo tamen prius Gedanensibus redditum, ut abolerent. Elbingensibus a. 1655 iterum sub potestatem Svecorum redactis, a. 1658 tertium sigillum, hoc anno pro priore substituto, cura & sumtibus Gedanensium sculptum est, qui illud in annum 1661 servarunt, quo illud Elbingensibus, absente & ægre postea ferente equestri ordine, exhibuerunt, ac vetus, accitus statim aurifaber, instrumento ferreo, spectantibus Consiliariis, corrupit **.

Quando sigillo uti liceat.

Ex quo tempore sigillum Prussiæ in Elbingensium custodia mansit. Sigillo non licet uti, nisi in conventu generali, quando vel plane finitus, vel in aliud tempus prorogatus, minime quando ruptus: & quamvis prorogato a. 1658 conventu, Ordines

dines privatis annulis, quam ſigillo Pruſſiæ maluerint uti ***, aliud tamen in aliis ejusmodi conventibus placuit. Cum prorogatus conventus a. 1701 ruptus esſet, & Ordines nihilominus in tributorum *laudo*, quod proximo conventu placuerat, nonnulla mutarent, *laudoque* mutato ſigillum imprimendum eſſet, Elbingenſes ideo, quod conventus ruptus, ſigillum tradere primum tergiverſabantur, deinde confirmati ab aliis, non negabant ****. Non imprimitur aliis ſcriptis ſigillum, quam quæ omnium conſenſu probata ſunt. Quare a. 1662 civitates majores, ſcriptum polonicum, quo Nobilitas tributum in *capita* decreverat, ſigillo provinciæ firmari non ſinebant, cum ipſæ tributo illi adverſarentur, ſed Palatinus Culmenſis, tanquam Præſes conventus, id ſuo ſignabat annulo *****. Interregno poſt STEPHANUM, edictum pro pace inteſtina germanice ſcribebatur, quod cum verti in polonicam linguam curaſſet Nobilitas, fruſtra flagitabat, ut ſigillum Pruſſiæ imprimeretur, quia id fieri majores civitates non permittebant, polonica ſcripta ſub provinciæ ſigillo prodire negantes ******. Quo autem ſigillum in promtu ſit, adferunt ſecum Elbingenſis in conventum, & quando nulli ab iis veniunt magiſtratus, mittunt

Quibus ſcriptis imprimatur.

In conventus mittitur.

mittunt per *Secretarios*. A. 1615. 1616. 1617. adhibiti aliquoties privati annuli, cum Elbinga, neque Magiſtratus, neque Secretarii cum ſigillo, in conventus veniſſent: quod ex *documentis T. V. hiſtoriæ Pruſſiæ*, ſub citatis annis patet: quod etiam a. 1635, Gedanenſibus, in quorum cuſtodia illo tempore ſigillum erat, abſentibus, factum eſſe legimus. Imprimitur ſigillum, conventu, ut dictum, jam finito, in Elbingenſium, qui ſi abſunt, in Thorunenſium, & neque his præſentibus, in Gedanenſium hoſpitio: eratque plane inſolitum & ſine exemplo, cum id a. 1662 ex invidia in Elbingenſes, in curia fieret. Nec minus ad extraordinaria referendum, cum conſenſu Ordinum, a. 1696 ante ipſum conventus initium, tria lauda *ſigillarentur* *******: quod a. 1658 dies octo poſt conventus finem dilatum. Ipſum ſigillum in theca argentea aurata conditur, cui conventus Præſes annulum ſuum imprimit, ne quis ſigillo, extra conventum & inſciis Ordinibus, utatur. Quando ergo poſt conventus finem, ſigillum depromendum, annuli ſignum, an integrum ſit, inſpicitur, ac conventus Præſes, poſt ſuum abitum, relinquit aliquem cum annulo, qui poſt uſum ſigilli, thecam obſignet. Unum de publicis conventuum ſcriptis addendum

Quando non miſſum, pro illo privati annuli adhibiti.

Ubi ſcriptis imprimatur.

Uſus ejus ante conventus initium.

Sigilli theca.

Qui dies actis

publicis adscribatur. dum restat, non iis subscribi diem, quo scripta aut *sigillata*, sed ad quem conventus indictus, quove cœpit, aut incipi debuit.

* Hist. Pruss. V. 79. 80.
** Hist. Pruss. VII. 282. 283.
*** Hist. Pruss. VII. 208.
**** Hist. Pruss. IX. 98. 99.
***** Hist. Pruss. VII. 296.
****** Hist. Pruss. IV. 12. 13.
******* Hist. Pruss. IX. 8.

§. 67.

Spatium conventibus statutum. Quando autem a. 1655 lex conventus generales trium dierum spatio circumscribit, vetatque ultra illud consultationes protrahere, usus legi adversatur, idque impune, cum dierum numero plane incerto, conventus modo longiores, modo breviores sint. Conventus a. 1677 habitus, fuit dierum quatuordecim, & omnium potest dici longissimus, qui a. 1710 post alteram prorogationem, Gedani in octavam hebdomadem continuabatur, donec irritus evaderet. Conventum intra dimidium diem peractum, annus 1582 & alium quatuor horarum; annus 1588 memorat *.

(Y)

Conventus longissimus & brevissimus.

* Histor. Pruss. III. 423. IV. 39.

§. 68.

Priscis temporibus conventus rumptos non esse. Præter conventus generales, qui rite absolvuntur, quosque descripsimus hactenus, alii rumpuntur, alii in aliud tempus prorogantur, ut spatio aliquo interjecto, consultationes resumantur, finianturque. Priscis temporibus nulli conventus rumpebantur, sed quando Ordines dissentiebant, pauciores cedebant plurimis, aut si id illis per suorum mandata non liceret, annuebant, servata suis assentiendi facultate. Salutis publicæ, legum & consuetudinum receptarum præcipuum erat studium, a quo si qui deflecterent, non tanta erant pervicacia, ut aliorum consilia reddidissent irrita. Quando vero de nonnullis ob dissensionem nihil constitui posset, non id officiebat iis, quæ jam constituta, reliquis aut in aliud tempus dilatis, aut postea silentio transmissis. Recentior ætas alium consultandi modum induxit. Quando pauci, imo unus dissentit a cæteris, ac in dissensione perstans, ex consessu abit, neque redit, actum est de toto conventu, & quæ jam placuerunt omnibus, perinde habentur, ac si non placuissent: & hoc est, quod conventum rumpere dicitur. A. 1623 ruptus antecomitialis conventus, cum Culmensis palatinatus a reliquis duobus secessionem faceret, hique eo offensi, postea Culmensi, cum ad illorum sententiam rediret, se jungere nollent: quod palatinatuum factum, cui

Quomodo jam rumpantur.

Rupti a pluribus & ab uno.

scripto Confiliarii & minores civitates contradixerunt, docuit, posse nonnullorum dissensione effici, ne conventus peragatur: quorum exemplum primo interregni post SIGISMUNDUM III. conventu, Nuntii aliquot imitati, contradicendo a reliquis discesserunt, Ordines tamen nihilominus conventum, tributis aliisque, quæ initio interregni constitui solent, decretis, conventum absolverunt*. Sequentem conventum Palatinus Pomeraniæ, ac plerique palatinatus hujus Nuntii, tum Castellani Elbingensis & Gedanensis, irritum reddiderunt: quod a. 1639 a civitatibus majoribus; a. 1644 a duobus Pomeraniæ Nuntiis; a. 1670. 1688 ac 1701 ab uno factum est. Nec differt, unus an plures contradicant & in contradictione sua perstent, & causa qualiscunque sit, pro legitima habetur.

Num præter Nuntios, etiam Nobilis quicunque conventum queat rumpere.

Videtur quidem hæc contradicendi facultas a. 1654 per laudum circumscribi, quo illis, qui Nuntii non fuerint, auctoritas censendi negatur, sed cum jam Nobilitas plerumque Nuntios non mittat, sed cuilibet venire in conventus generales liceat, frustra ex laudo illo adversus contradicendi promiscuam libidinem remedium petitur, cum qui ex Nobilitate præsentes sunt, sibi eandem vindicent auctoritatem, quam *laudum* solis Nuntiis

Nuntiis afferit. In conventu Olivensi a. 1710 intercessio pro vana habita est, quod intercedens nullas in Prussia possessiones haberet, & cum idem in conventu in Schotlandiam prope Gedanum eodem anno translato, intercessionem suam repeteret, eadem iterum, ex eadem causa despiciebatur.

Num qui nullas in Prussia possessiones habet.

Tristior fuit illius sors, qui cum ex Polonia venisset, ut a. 1730 conventum rumperet, neque satis constaret, an esset Nobilis, verberibus & custodia temeritatem luit. Antea, anno scilicet 1712 duo Nobiles conventum antecomitialem vix cœptum intercessione turbare frustra conati sunt, quorum alter, cui in Prussia nullæ possessiones, verberibus ad sanguinem usque affectus est, Ordines vero conventum peregerunt, cujus auctoritatem *laudo* & scripto judicio civitatis Graudentinensis exhibito tuiti sunt, cum duo illi Nobiles suam intercessionem, ejusdem judicii actis inseri curassent.

Interdum qui conventum rumpere conati, male habiti. Conventus peractus postea irritus declaratus.

Sed prævaluit Nobilium intercessio, cum Ordines sequenti anno in Mariæburgensi conventu, priorem illum conventum pro rupto haberent.

An valeat intercessio Marschalco nondum electo.

In Olivensi conventu a. 1710 negabat Palatinus Culmensis, intercessionem ante electionem Marschalci valere, affirmantibus cæteris, quorum sententiam exempla probant: annis enim 1697. 1699. 1710 &

Num per in-

Interces-sionem statim conventus rumpatur. & 1728 Marschalco nondum electo, conventus rupti sunt. Non tamen statim per intercessionem conventus semper rumpitur, sed primum consultationes sistuntur & Ordines *passive*, ut loquimur, agunt, hoc est, sine auctoritate aliquid constituendi: & quando qui intercessit, a sua contradictione desistit, aut si jam ex consessu abiit, vel ultro, vel precibus motus redit, instauratur conventus, quod *activitatem* restitui dicunt. *Quid sit, activitatem sistere, quid restituere.* Manente vero intercessione, & qui intercessit, ex civitate, ubi conventus habetur, profecto, ut nulla activitatis restituendæ spes supersit, de conventu actum est. Possunt igitur in uno conventu plures fieri intercessiones, & conventus nihilominus peragi, modo ab intercessionibus desistatur. *Intercessio scripto repetita.* In Schotlandensi conventu prope Gedanum a. 1710, reditus eorum, qui contradicentes ex consessu discesserant, sex dies exspectabatur, donec redirent, quod a. 1699 fiebat biduum, sed frustra. Intercessio, quæ voce declaratur, interdum scripto repetitur, & actis vel castrensibus vel civilibus exhibetur. *Quomodo conventu rupto Legatus Regius dimittatur.* Rupto conventu, Legatus Regius coram Ordinibus sola Præsidis voce dimittitur, nullumque responsum litteris accipit, civitates vero majores, culpam a se amoventes, *manifestatione* loci judicio civili exhibita, asseverant, *Mani-festatione*

verant, per se non stetisse, quo minus *festatio conventus felicem exitum sortitus sit: conventu rupto.* quod interdum etiam a cæteris Ordinibus, simul cum iisdem civitatibus factum, legimus.

§. 69.

Conventus sæpe prorogatos esse, salva Regis approbatione. Sæpe contigit, ut conventus neque absolveretur, neque rumperetur, sed prorogaretur; cujus variæ possunt esse causæ. Si inter Ordines dissensio, quorum compositio per intervallum temporis speratur; si a civitatibus majoribus alia mandata exspectantur; si utile consultationes differre; si ea constitui nequeunt, quæ Ordines ante novum conventum constituere mallent, &c. Hanc prorogandi facultatem Ordines, ex potestate conventus indicendi derivant, de qua supra actum, ita tamen, ut Rex suis litteris prorogationem approbet. Nec minus Ordines, diem & locum prorogato conventui decernunt, salva pariter Regis approbatione: qua num opus sit, *De loco ubi conventus continuandus, quem novi particulares* dubitatum aliquando, quem scrupulum usus potest eximere, qui docet, conventum continuatum non fuisse, Regis approbatione ad Ordines haud delata, quamvis inficiandum non est, dari etiam exempla contraria. Ut vero Rex prorogationem confirmet, in responso, quo

non praecedunt. Legatus ejus ex conventu dimittitur, rogatur.. Quod ad loca attinet, servant Ordines vices inter Mariæburgum & Graudentum, ut si in una illarum civitatum conventus cœptus, in alteram prorogetur. Particulares conventus, tum non præcedunt, quia non novus habendus generalis conventus, sed jam cœptus, ab iisdem Nobilitatis Nuntiis, ad præscriptum priorum mandatorum continuandus est. Si vero novi quid in prorogato conventu ad Ordines referre Regi placeret, novis particularibus conventibus ad nova mandata opus esset, secus in generali de eo nihil decerneretur. *Legatus Regius in conventu continuato.* Mittit Rex in conventum prorogatum priorem Legatum, cum prorogationis approbatione, qui more sollemni in Ordinum consessum deducitur, ac si constituto die non adfuerit, conventus non continuatur, sed Ordines infectis rebus discedunt: quamvis exemplis conventus sine Legato Regio continuati, non destituimur. A. 1684 venerat in prorogatum conventum Legatus, sed quia neque Regiam conventus approbationem, neque alias litteras attulerat, in consessum Ordinum deductus non est. Absente a. 1714 legato, postride quam continuari debebat conventus, Regia approbatio per tabellarium reddebatur, quare conventu

ventu non continuato, alium a Rege litteris Episcopi Varmiensis petere placuit. Quando ergo exhibita lectaque Regis approbatione, Legatus in hospitium suum rediit, consultationes continuantur, & quidem a Nobilitate sub priore Marschalco, qui si absens, novus ex eodem palatinatu, quo prior fuit, eligendus est. *Absente Marschalco eligendus alius.* Profecto anno 1679 in tribunal thesauri Marschalco, alium eligebant Nuntii ex prioris palatinatu. Absentis in conventu a. 1710 Gedanum prorogato Marschalci munus, Culmensis Vexillifer, Chełstowscius, Nuntiis annuentibus, suscepit. Finitis consultationibus, Regius Legatus in Ordinum consessu dimittitur. Sed non omnes conventus continuati finiti, verum nonnulli rupti, nonnulli iterum prorogati sunt, & si rupti, civitates majores manifestatione abstinent, quam alio conventu rupto, iudicio civili exhiberi proximo §. memoravimus. *Prorogati conventus rupti, nec non iterum prorogati.* A. 1688. 1691. 1701. 1710 prorogati conventus rumpebantur, quos a. 1667. 1682 & 1710 iterum prorogare placebat, quod etiam factum, quando prorogatus conventus continuari non potuit. Sive autem rumpatur, sive prorogetur iterum, rata manent, quæ in conventu cœpto constituta sunt. Neque silentio transmittendum, noluisse a. 1687 Ordines conventum con-

 tinuare,

tinuare, cum in approbatione Regia facultas conſultandi reſtricta eſſet. Cæterum a. 1677 monuit JOANNES III, conventus finire, non in aliud tempus prorogare, quod etiam Regni conſtitutio a. 1717 vetat *: cui an Pruſſiæ Ordines obtemperaturi, cum in eam non conſenſerint, tempori merito relinquitur. In præſens ſcire ſufficit, poſt annum 1713 nullum conventum prorogatum, & poſt annum 1710 prorogatum non continuatum eſſe.

Conventus prorogare vetitum.

Ex quo tempore non prorogatus.

* Conſtit. a. 1717. p. 76. tit. Seymiki.

§. 70.

Conventus antecomitialis.

Quæ hactenus de conventibus expoſita ſunt, generatim ad conventus pertinent, cum vero alii conventus ſint antecomitiales, alii poſtcomitiales, hique in nonnullis inter ſe differant, reſtat, ut, quid de ſingulis ſpeciatim notandum, addatur. Ex quo enim tempore Pruſſis impoſita fuit neceſſitas, cum Regni Ordinibus in horum comitiis conſultandi, ſimul ad exemplum Regni, in Pruſſiam inducendi erant conventus, qui comitia illa præcederent, & in quibus Pruſſi deliberarent, quæ in comitiis conſtitui vellent, eaque ſuis Nuntiis committerent. Fit hoc omnium conſenſu, ſcribiturque mandatum ſeu *inſtructio Statuum & Ordinum Terrarum Pruſſiæ* nomine. Unde

Ubi mandatum pro

ſequitur,

ſequitur, opus eſſe generali ante comitia conventu, quia niſi in illo, Ordines Terrarum, hoc eſt, totius Pruſſiæ, adſunt: qui ſi rumpitur, aut non inchoatur, mandatum non ſcribitur, neque Nuntii facultatem adeundi comitia obtinent. Cum igitur ſuperiore ſæculo, aliquoties Nuntii particularium conventuum auctoritate, cum ſingulorum palatinatuum mandatis adiiſſent comitia, id uti juribus & conſuetudinibus adverſum, ægre tulerunt Conſiliarii, ut etiam publicis litteris contradicerent, quod ab iis a. 1643. & a majoribus civitatibus ſeorſum a. 1620 & 1650 * factum eſt. Nec minus Rex VLADISLAUS IV. in ſuo decreto a. 1647 vetuit, *inſtructioni ad comitia quicquam aliud inſeri, niſi quod communi Statuum & Ordinum Terrarum Pruſſiæ placito, laudatum & approbatum fuerit.* Et a. 1671 Ordines laudo conſtituerunt, rupto generali antecomitiali conventu, Nuntios in conventibus particularibus electos, nullam auctoritatem in comitiis ſibi arrogare poſſe, & quicquid ab iis actum, id omnino irritum & vanum habendum eſſe. Ex hiſtoria etiam conſtat, Regni Nuntios, Nuntiis ex Pruſſia, generali Ordinum mandato deſtitutis, legitimorum Nuntiorum auctoritatem negaſſe. Quare non mirandum,

Nuntiis comitia Regni aditu-ris ſcribitur.

Ex conventibus particularibus, Nuntii ad comitia non mittendi.

(Z)

(Aa)

Qui etiam ibidem auctoritate deſtituuntur.

dum,

dum, post annum 1712 usque ad annum 1730, & post a. 1735, usque in præsentem 1757 nullos in comitia Nuntios ex Prussia profectos esse, quia illis intervallis, præter unum, qui ruptus, nullus conventus antecomitialis initium habuit.

* Histor. Pruss. V. Doc. 88. VII. Doc. 47.

§. 71.

Ubi Nuntii designentur & quales esse debeant. Ut Nuntii ad comitia Regni profecturi, in conventibus particularibus designantur, ita in generali confirmantur, salva facultate numerum eorum augendi. Ab iis exigunt leges, ut indigenæ, *possessionati* & in particulari conventu præsentes sint: & cum a. 1682 quæreretur, an etiam in generali præsentes esse debeant, responsum: præsentiam in particulari sufficere. Quod ad indigenas, indultum interdum, ut inter Nuntios non indigenæ essent, cautumque a. 1666. ne statim pro indigena habeatur, qui semel iterumque Nuntius fuerit. Anno tamen 1730 magno fervore certatum, ne Succamerarius Iunivladislaviensis, Moszczynscius, non indigena, in generali conventu præsens, quem Svecenses Nuntium in comitia commendabant, in illorum numero haberetur, donec Moszcynscius & cum illo Svecenses, reliquæ Nobilitati cederent. Par fuerat certamen a. 1674, sed dispari exitu, cedentibus

Num qui non indigenæ, inter Nuntios recipiendi.

(Bb)

tibus tandem, qui non indigenæ restiterant. Numerus illorum incertus, & cum usque ad annum 1640 non ultra tredecim essent, numerus crevit cum tempore: anno enim 1648 octo & triginta; a. 1680 quinquaginta tres; a. 1689 septuaginta quatuor; a. 1699 quinque supra centum; a. 1730 centum & octodecim; & 1735 sexaginta & unus designati sunt. Minime tamen omnes in comitia proficiscuntur, sed plerisque sufficit, nomina sua *Instructioni* præponi, ut a posteris legantur. Scribuntur nomina ordine palatinatuum, & sub palatinatu Pomeraniæ, ordine terrarum, in quas palatinatus ille divisus est, ut perspici possit, qui singulorum palatinatuum terrarumque Nuntii sint. Inter eos vero, is ordo servatur, quem cuique sua dignitas largitur, qui autem nulla dignitate conspicui sunt, scribuntur, ut se offerunt. Quando autem inter dignitates de loco controversia est, cuique jus salvum servatur. Cum 1730 inter Notarios terrestres & Assessores judiciorum terrestrium de loco certaretur, & Notarii ante Assessores scriberentur, post *instructionis* titulum, ante Nuntiorum nomina ponebantur verba: *non præjudicando prærogativæ generosorum Assessorum terrestrium.* De Marschalco Nuntiorum sigillatim

Nuntiorum numerus olim minor, jam major.

Quo ordine illorum nomina scribantur, & quem locum habeat Marschalci nomen.

gillatim notandum, licet in conventu inter Nuntios primus ſit, ejus nomen non illorum nominibus, qui alias dignitate priores ſunt, præponi, ſed ſub illo palatinatu aut terra, cujus Nuntius eſt, ſcribi. Quare cum Nobilitas in conventu anno 1728 ex Conſiliariis quæſiviſſet, annon Marſchalcus inter Nuntios ad comitia primus eſſet, reſpondebatur: eſſe Marſchalcum reliquis Nuntiis æqualem, non priorem. Poſſunt inter Nuntios ad comitia etiam Succamerarii eſſe, ut fuerunt ſemper, ſi non omnes, tamen unus aut duo: quia cum in Pruſſia Conſiliarii ſint, in Polonia ad ordinem equeſtrem referuntur. In comitiis a. 1654 ægre latum, cum ex uno palatinatu Culmenſi duodecim adeſſent Nuntii, creditumque quatuor ſuffeciſſe; nec non a. 1699 de Nuntiorum numero, quaſi nimius eſſet, cum Pruſſis expoſtulatum eſt. Olim, nonnunquam ex Nuntiis aliquot lecti, quibus ex Pruſſiæ theſauro conſtitutum viaticum, ea lege, ut juſto tempore in comitiis adeſſent, neque ante finem diſcederent, ac jura tuerentur fortiter, quique ideo Nuntii *ſalariati* dicebantur. A. 1648 ex Culmenſi duo, ex Mariæburgenſi totidem, & ex Pomeraniæ palatinatu tres placebant Nuntii, quibus ſingulis quingenti floreni, ſub multa dupli,

Poſſe etiam Succamerarios in Nuntiorum numero eſſe.

Quod Nuntiorum ex Pruſſia numerus, Polonis viſus nimius.

Quibusdam ex Nuntiis viaticum olim præbitum publice.

ſi officio ſuo defuerint; anno 1652 ex ſingulis palatinatibus bini, ſingulisque mille, ac primario ex illis ter mille; a. 1668 ex tota Pruſſia duodecim, ſingulisque quadringenti floreni; a. 1676 ex Nuntiis decem lecti, ſingulisque ſexceneni; a. 1678 ſeptem prælati cæteris, duobusque treceni, reliquis duceni imperiales nummi decreti ſunt. Cum vero a. 1667 in conventu antecomitiali promiſcue ſingulis Nuntiis, qui ab initio usque ad finem comitiis interfuturi & commiſſa ſibi ex mente Ordinum gnaviter peracturi ſint, centum imperiales promitterentur, ſancitum in poſtcomitiali, ut ſumma hæc illis ſolis, qui officium ſuum impleverint, præſtaretur. Poſt memoratum annum 1678, conſtitui præberique viaticum publice deſiit, & qui comitiis intereſſe voluerunt, ſuis ſumtibus profecti ſunt. Quia vero interdum Nuntii incuſati, acſi in comitiis aliter, quam mandatum ſibi, egiſſent, propoſitum a. 1699, ut jurejurando obſtringerentur, pro quo ſufficere videbatur, ſi ut adhuc ſoliti, per fidem & honorem obligarentur, & ſecus facturi, in conventu poſtcomitiali ab Ordinibus judicarentur. Eſt enim longa conſvetudine receptum, Nuntios, præſertim ne in tributa conſentiant, fide, honore, & conſcientia obligare,

Ad quid & quomodo Nuntii obligentur.

quæ verba in omnibus mandatis ad comitia repeti ſolent.

§. 72.

Conventus poſtcomitialis, num relationum dicendus.

Conventus poſtcomitialis, poſt Regni comitia habetur, unde ei etiam nomen eſt, & cum Poloni, ſuos poſt comitia conventus, relationum appellantes, idem nomen ſimul Pruſſorum conventibus poſtcomitialibus inderent, minus illud convenire exiſtimarunt Pruſſi, quod poſtcomitiales ſuos conventus, non propter ſolam relationem eorum, quæ in comitiis acta, ſed ut nova, quæ ex provinciæ ſuæ commodo eſſent, decernerentur, celebrarent: neque poſtcomitialem ſuum conventum in conſtitutionibus Regni a. 1653 relationum vocabulo inſignitum, ſilentio transmiſerunt, ſed quaſi id juribus ſuis adverſaretur, indignati, providerunt, ne nomen illud ullo modo iisdem juribus ſuis officeret *. Poſtea hanc appellationem æquiore animo ferentes, in conventu poſtcomitiali a. 1700 exceperunt, ne ſibi neceſſitas aſſentiendi iis, quæ in comitiis ſancita, imponeretur. Referuntur quidem in conventu poſtcomitiali, quæ in comitiis peracta, in quantum ſcire Pruſſorum intereſt, ſed ſimul ſi ita viſum expenduntur, & ſi quæ, vel Nuntiis diſſentientibus, vel eorum mandatis juribusque reclamantibus, in Pruſſos decreta, irrita declarantur, idque aut in reſponſo, quo Regius Legatus dimittitur, aut per *laudum*, aut utroque modo.

Acta in comitiis, ſed non omnia, in poſtcomitiali conventu exponi, illisque contradici, quæ adverſus Pruſſos decreta.

Præterea ſciſcuntur tributa, ſi Regni Ordines exemplo ſuo in comitiis præierunt, idque a Pruſſis fieri, Rex in legatione ſua monuit, quamvis interdum etiam in antecomitiali conventu pecuniam decretam eſſe, exempla annorum 1655. 1685. 1689 & 1696 docent.

Nova tributa decerni & priorum rationes reddi.

Quia vero, dum nova tributa ſciſcuntur, ſimul priorum rationes reddendæ ſunt, exhibet eas in conventu poſtcomitiali Theſaurarius Pruſſiæ, quod a. 1730 in antecomitiali fieri debuit, cum de novis tributis non ageretur.

Poſtcomitialium conventuum origo & ex quo tempore nulli habiti.

Quod denique ad conventuum poſtcomitialium originem, cœperunt ex eadem occaſione, qua antecomitiales, ſcilicet cum Pruſſi, cum Regni Ordinibus in comitiis conſultarent, neque poſt annum 1736 indictus eſt, quia omnibus ex illo tempore comitiis irritis, nihil conſtitutum, quod Pruſſis in conventu ſuo poſtcomitiali exponeretur.

* Hiſtor. Pruſſ. VII. Doc. 102.

§. 73.

Poſtcomitiales & antecomitiales con-

Interdum conventus poſtcomitiales & antecomitiales ſimul habiti, præſertim tempore interregni, ubi ſpatium, quod convocationis & electionis, tum electio-

ventus inter-dum simul ha-biti. electionis & inaugurationis comitia intercedebat, angustius erat, quam ut postcomitiales & antecomitiales conventus seorsum celebrari possent. Tum idem conventus, qui erat priorum comitiorum postcomitialis, evadebat proximorum antecomitialis, fiebantque simul in uno, quæ alias sigillatim in duobus fieri solent. *Exemplum sub Vladislao IV.* Festinatis a. 1647 novis comitiis, voluit Rex, ut Prussi simul priorum comitiorum postcomitialem, & futurorum antecomitialem celebrarent, quod cum extra interregnum plane novum esset, Rex declarabat, hoc exemplum consuetudini, per quam antecomitiales & postcomitiales conventus seorsum habeantur, non derogaturum esse *.

* Hist. Pruss. VI. 250.

§. 74.

Licere Regi, præter antecomitiales & postcomitiales conventus, Prussis etiam alios indicere. Præter conventus antecomitiales & postcomitiales, Regi licere etiam alios conventus, quibus cum Regni comitiis nullum intercedit consortium, quando Prussorum commodum id exigeret, indicere, ut omni tempore licuit, nullum est dubium. Præsens sæculum duos ejusmodi conventus a. 1713 & 1734, ut conventum anni 1708 sileam, vidit. Plures JOANNIS CASIMIRI & superiorum Regum tempore celebrati sunt. VLADISLAUS IV. Ipse Thoruni ad-fuit,

fuit, cum Prussi ibi conventum de suis rebus haberent, & in quo Rex controversias suo decreto diremit *. *Quod exemplis probatur.* Superest enim hoc ex veteri regimine, cum Rex de Prussorum rebus, cum solis Prussis, aut coram, aut per legatum ageret, ut quæ ex utilitate publica essent, ab illis decernerentur.

* Histor. Pruss. VI. 262 seq.

§. 75.

In comitiis Prussi cum Regni Ordinibus consultant. Conventu antecomitiali peracto, Prussos adire comitia Regni, dictum supra: quod antiquis temporibus non factum, sed lato a SIGISMUNDO AUGUSTO a. 1569 decreto, quo Prussi in hoc Ordinibus Regni æquati, fieri debuit: cui quidem Prussi contradixerunt, ac obtemperarunt ægre, sensim tamen assveverunt parere, & se ad exemplum Polonorum Litvanorumque componere. Habent igitur ex Prussiæ Consiliariis, ut ante monitum, Episcopi, Palatini, Castellani, inter Senatores Regni locum, & iisdem, quibus hi, negotiis adhibentur; Nobilitatis Nuntii vero ad Poloniæ majoris Nuntios referuntur, ut etiam quando ex majori Polonia in comitiis eligendus Marschalcus, ex illorum numero eligi queat, electique a. 1664 Gninscius, & a. 1690 Dzialynscius, ambo ex Prussia Nuntii. Majores civitates, quæ Con-

 silii

Quo tamen civitates majores abstinuerunt.

ſilii Pruſſici pars ſunt, quando ſuo nomine Magiſtratus in comitia miſerunt, non ideo miſerunt, ut vel cum Senatoribus, vel cum Nuntiis Regni deliberarent, ſed ut cum ſolis ex Pruſſia præſentibus conſilia conferrent, ac cum iis Regi exponerent, quæ tantum ad Pruſſiam, aut etiam ſeorſum apud Regem & Senatores Regni curarent, quæ ſigillatim ad civitates pertinerent.

Quomodo Pruſſis provinciæ ſuæ res curandæ.

Conſiliarii vero, antea nominati, & Nuntii, illi in Senatu, hi in Nuntiorum conclavi, de omnibus cenſendi facultatem habent, modo ne in rebus Pruſſiæ a provinciæ hujus juribus, & ab Ordinum ſuorum mandato deflectant, utque reſiſtant & reclament, ſi alii, quæ adverſentur, cenſeant, ac conſtitui velint. Pruſſi enim ad ea obligari nolunt, quæ contra jura ſua & mandata, in comitiis decreta ſunt, diſſentientibus, aut etiam male conſentientibus illis, qui ipſorum nomine in comitiis fuerunt.

Privata ibidem Pruſſorum conſilia, quique ſoli Regem adeunt.

Non ſolis Regni conſiliis Pruſſi interſunt, ſed etiam privatim, apud præcipuum Conſiliarium deliberant, & ſeorſum Regem adeunt, ut tum voce exponant, tum ſcripto exhibeant, quæ provinciam ſuam premant, quibusque medelam afferri poſſe exiſtiment. Quales privatæ conſultationes ac ad Regem aditus, in omnibus ad comitia mandatis etiam

etiam atque etiam commendari ſolent. Utrumque confirmavit Rex, VLADISLAUS IV. in decreto ſuo aliquoties commemorato, qui ſimul controverſiam de ordine cenſendi in conſultationibus & de priore apud Regem loco, inter majores civitates & Nobilitatis Nuntios dirimere voluit, cum hi civitatibus, quamvis in numero Conſiliariorem ſint, contra morem antiquum cedere detrectarent. Statuit enim Rex, ut in illis conſultationibus, ſententiæ ſine certo ordine, impetrata tamen a Præſide cenſendi venia, dicerentur, quando autem Regem adirent, Nuntii Nobilitatis cum Conſiliariis ad ejus dextram, civitates ad ſiniſtram ſolæ ſtarent. Ejusmodi in comitiis conſultationum, quibus civitatum majorum Magiſtratus interfuerunt, ultimum eſt exemplum poſt JOANNIS III. inaugurationem, quia poſtea Magiſtratus in comitia venire deſierunt: acciti tamen interdum earum *Secretarii*, qui ad aulam præſentes, ut quæ ſibi mandata exponerent, aut ut de quibus ageretur, quisque ad ſuum magiſtratum referrent, ac reſponſum reciperent. Quando Pruſſi Regem adeunt, verba facit, qui inter Conſiliarios primus, cui Cancellarius Regni reſpondet, & præſentes ad oſculum manus Regiæ admittit. Si ſcriptum exhi-

I 3

exhibetur, idem Cancellarius recipit, & responsum promittit, quod interdum frustra exspectatur. Neque semel adeunt Regem Prussi, adeunt, si opus videtur, iterum. Cum a. 1730 bis adiissent Regem Prussi, ad ea, quae exposuerant, responsum in futura comitia dilatum est.

§. 76.

Num Regni constitutiones Prussos, sine legitimo ipsorum consensu, obligent. Prussorum de hac re testimonia.

Quae in comitiis de Prussia sanciuntur, ad eam minime pertinere Prussi credunt, nisi ipsorum Nuntii consenserint, ac consentire potuerint, quia Prussia suis, non alienis legibus utitur, ac leges pro alienis habentur, quae sine legitimo Prussorum consensu latae sunt. SIGISMUNDUM AUGUSTUM orarunt Prussi: „ne iis tenerentur, quae se inscii Regni constitutionibus inserta essent, secus duriorem fore conditionem „suam, quam sub *Crucigerorum* imperio, quo nihil ratum, nisi Consiliarii, „Nobilitatis & civitatum nomine consensissent „. Regi HENRICO expositum: „Prussos cum olim cum Poloniae „Regno iniissent societatem, suis legibus vivere, non autem aliunde allatas „admittere, unquam voluisse, statutis „autem Regni, ad quorum promulgationem nunquam vocati, omnibusque iis, quae ipsis absentibus decreta „& statuta, neque posse, neque debere obstrictos teneri „. STEPHANO a. 1578 responsum: „Ordines Terrarum Prussiae constitutionibus Regni „minime obnoxios esse, & suas peculiares constitutiones, peculiaria jura & „privilegia, quibus res & negotia Terrarum Prussiae definiantur, habere; „neque ejus conditionis esse, ut in nolentes, reclamantes & protestantes, „quidquam statui aut sanciri possit „. Regnante SIGISMUNDO III. Prussi declararunt: „suas Terras vigore privilegiorum suorum, Regni Poloniae constitutionibus, illis praesertim, quae „contra ipsorum privilegia pugnent, „omnino non teneri „: qui neque VLADISLAI IV. tempore, juribus suis consulendo, constitutionibus, quae illis juribus adversarentur, obstringi voluerunt, easdemque aboleri rogarunt *. Idem de obligatione ex constitutionibus Regni in hanc aetatem Prussorum mansit sensus, ut lectis a. 1673 in conventu suo, proximorum comitiorum, quibus ipsi non interfuerant, constitutionibus, contradicerent **; & a. 1712 Regi AUGUSTO II. ad exemplum majorum responderent: Terras Prussiae, vigore privilegiorum suorum, Regni constitutionibus omnino non teneri.

 * Hist.

* Hiſt.Pruſſ.II.275.291. III.Doc.p.24.27.85. 86. V.Doc.p.27. VI.Doc.p.101.121.147.
** Hiſt. Pruſſ. VIII. 87.

§. 77.

Poſſe conſtitutiones Regni pariter ad Pruſſos pertinere, ſi eorum conſenſus acceſſerit.

Sunt tamen inter Regni conſtitutiones plures, quibus non minus Pruſſi quam Poloni tenentur, ſunt etiam, quibus vetera Pruſſorum jura firmantur probanturque, ſcilicet de indigenatu, de Nobilitatis expeditione generali intra Pruſſiæ fines, de ſciſcendis in conventu poſtcomitiali tributis, & aliis. Jam a. 1596 Ordines putarunt, per conſtitutiones juribus ſuis, adverſus eos, qui impugnarent, præſidium parari; quamvis verebantur majores civitates, ne hac via, jura conſtitutionibus Regni ſubmitterentur, quaſi ab his petenda eſſet illorum auctoritas, quam per ſe haberent *. Quicquid autem de Pruſſis in comitiis ſtatuendum, eorum aſſenſum requirit, ſive is ſtatim in comitiis accedat, ſive in conventu poſtcomitiali ſequatur: ubi tamen diſpiciendum eſt, an Pruſſi in comitiis præſentes, facultatem aſſentiendi habuerint.

Conſentiendi facultatem eſſe neceſſariam.

Quare cum a. 1590. 1611. 1613 & 1618 Pruſſi in comitiis contra ſuum mandatum, in tributa conſentirent, id ab Ordinibus probatum non eſt.

Publicæ contradictiones, ſi quid in comitiis in Pruſſos, ſine ipſorum conſenſu, ſancitum.

Idem dicendum, quando Pruſſis diſſentientibus, aut plane ignorantibus, in illos aliquid ſancitum eſt: a quo, ut immunes

munes ſerventur, *proteſtationibus* & *manifeſtationibus*, ut vocantur, providetur, quæ vel ſtatim comitiis finitis, judicio caſtrenſi, aut civili exhibentur, vel in proximo conventu, per laudum publicantur: quales anni 1591. 1606. 1611. 1614. 1616. 1621. 1638. 1647. 1648. 1652. 1653. 1655. 1667. 1669. 1671. 1679. 1685. 1711 & 1717 memorant: inter quas nonnullæ ſunt, quæ civitatibus ſpeciatim debentur.

Jus contradicendi aſſertum.

Monuit quidem a. 1645 VLADISLAUS IV. Pruſſos, ne *proteſtationibus* ſuis Regni conſtitutiones irritas redderent: „ſed Pruſſi, *proteſtationem* „unicum ſervandorum jurium ſubſidium „eſſe exiſtimantes, Nuntiis ſuis injun„xerunt, inſtare, ut proteſtationes in „facie Reipublicæ interpoſitæ, a *caſtro* „Varſavienſi, ſub certa in Notarium ca„ſtrenſem ſtatuenda pœna, ſuſcipiantur, „utque civitatibus majoribus & minori„bus, ſuas etiam in facie Reipublicæ „*proteſtationes*, per Nuntios terreſtres „interponere liceat, quod ſi vero id „Nuntii facere detrectaverint, ut civita„tibus tum liberum ſit, ſuas ad Varſavi„enſia, ſeu alia quævis acta caſtrenſia „porrigere *proteſtationes*, quæ non mi„nus valerent, quam ſi coram tota Re„publica declaratæ eſſent *.

Scribendis conſtitu-

Ne vero aliquid Pruſſis inſciis, aut contra ipſorum men-

tionibus unum ex Prussis adhibendum esse, frustra postulatum.

mentem, in Prussos constitutionibus insereretur, jam a. 1615 Nuntiis injunctum, efficere, ut constitutioni alicui palatinatui inservienti, ejusdem palatinatus Nuntii subscriberent **. In quem finem etiam volebant, ut ad scribendas constitutiones, unus ex Nuntiis Prussiæ designaretur, idque in perpetuum lege sanciretur: quod a. 1676. 1680. 1683 & 1689

Ne quid contra Prussorum mentem constitutionibus inseratur.

frustra repetitum. Reduces ex comitiis a. 1683 Nuntii, in postcomitiali conventu querebantur, quod declarationes suæ, in constitutionibus aliter, ac voce prolatæ, tum scripto exhibitæ essent, in jurium & consvetudinum offensam legerentur: ex qua causa Ordines eadem jura & consuetudines manifestatione tuebantur, simul ne idem, quod in illis comitiis factum, futuris temporibus fieret, cavebant ***.

* Histor. Pruss. VI. 216. Doc. p. 121.
** Histor. Pruss. V. Doc. p. 40.
*** Histor. Pruss. VIII. 230. Doc. p. 41. 42.

§. 78.

De iis, qui non Consiliarii, dignitates & publica munia gerunt.

Consultandi modo, cum in conventibus provinciæ generalibus, tum in Regni comitiis, exposito, ad eos transimus, qui cum dignitate insignes sint, & publico munere fungantur, in Consiliariorum numero non habentur: & ad quos merito Abbates, Thesaurarium, Ensiferum, Vexilliferos, Judices terrestres, Scabinos & Notarios terrestres referimus.

Abbates eorumque electio.

Sequuntur Abbates, Succamerarios *, & præcedunt eos, qui non sunt Consiliarii, sed ordinis equestris. Illorum in Prussia duo sunt, Olivensis & Pelplinensis, ambo ex regula Bernardinorum Cisterciensium. Non creantur a Rege, sed a suis *monachis* eliguntur, electique a Rege approbantur. Jus eligendi, *monachis* SIGISMUNDUS AUGUSTUS & Reges Successores confirmarunt, ac Ordines Prussiæ, quoties occasio tulit, tuiti sunt, ut etiam, cum jus patronatus in nominandis Abbatibus Regi assererent, Abbates Olivensem & Pelplinensem exciperent, horumque electionem antiquo more salvam vellent: quorum sensum constitutio a. 1699 secuta est **, ac felicissime hodie regnans AUGUSTUS III. in suis pactis conventis, *monasteriorum* Olivensis & Pelplinensis jura, nominatim in libera Abbatum suorum electione, se conservaturum promisit, simul monachis præcepit, ut nobiles non plebejos eligant ***.

Abbati contradictum, quod neque nobilis neque indigena.

Mota fuit olim a Nobilitate, Antonio Hackio, qui a. 1680 Coadjutor, & postea Abbas Olivensis factus, controversia, quia non Nobilis, sed patre cive Brombergensi natus erat, civitatibus majoribus a Nobilitate

bilitate diſſentientibus, qui nolebant in Pruſſia civium filios Abbatiis arceri, ex quibus olim Varmienſes & Culmenſes Epiſcopi fuiſſent. Contra permittebant civitates, Hackio objici, quod indigena non eſſet, & cum adverſus eum apud Regem & Regni Ordines movenda eſſet querela, quod nobilis non eſſet, id ſalvis civitatum juribus fieri debebat ****. Orta ſub finem ſæculi decimi ſexti, de abbatia Pelplinenſi inter duos competitores, quorum alter Pruſſus erat, lite, volebant Ordines, ut indigena præferretur; quibus reſponſum, non Pruſſos tantum, ſed etiam Polonos, ac ex aliis nationibus Abbates in Pruſſia fuiſſe *****. Quia vero indigenatus Pruſſici, in omnibus provinciæ dignitatibus, *ſpiritualibus & ſæcularibus*, ratio habenda eſt, ut dicetur infra, quando de indigenatu agam, crederem, in electione Abbatum indigenas præferendos eſſe. Sæculo decimo quinto, regnante CASIMIRO, Abbates Olivenſem & Pelplinenſem, conventibus interfuiſſe invenio, quod extra ordinem accidit, cum in numero Conſiliariorum nunquam fuerint. A. 1578 Abbas Olivenſis, Caſp. Geſchkau, in conventu generali, bis Nuntius *terreſtris* fuit ******. Hodie, quando in conventum Abbates veniunt, in numero hoſpitum habentur,

Abbates non Conſiliarii, conſiliis adhibiti.

Abbas Nuntius terreſtris.

Abbates in conventibus generalibus hoſpites.

tur, ac ſecedunt, quando Conſilarii ſoli cenſent.

* Hiſt. Pruſſ. IV. 233.

** Conſtit. a. 1699. p. 48. tit. Jus patronatus.

*** PactaConv. AuguſtiIII. §. OrdinisCiſtercienſ.

**** Hiſt. Pruſſ. VIII. 198. 199. Doc. p. 38.

***** Hiſt. Pruſſ. IV. 121.

****** Hiſt. Pruſſ. III. 267. 290.

§. 79.

Theſaurarius, quem CASIMIRUS inſtituit, tributa a Pruſſis decreta, recipere, expendere, ac receptorum expenſorumque rationem Ordinibus in generali conventu reddere ſolebat. Interregno poſt STEPHANUM, Pruſſiæ Theſaurario, qui ſimul Regni Theſaurius erat, mandatum, bona Reipublicæ, quæ non indigenæ poſſiderent, tanquam vacua recipere. A. 1748 Theſaurario injunctum, in poſterum omnia bona Regia vacua occupare, & veris indigenis poſſeſſionatis adminiſtranda tradere, neque alios quam indigenas in poſſeſſionem admittere. De quo tamen ipſi cum Regni Theſaurario lis eſt, qui ſibi occupationem adminiſtrationemque bonorum Regiorum, quando vacua ſunt, vindicat, Pruſſiæ Theſaurario cedente. Nihilominus in noviſſimo interregno, Ordines revocantes in memoriam ſuperiora *lauda*, mandarunt Theſaurario, omnes *capitaneatus*, & alia bona regia, non indigenis conceſſa,

Theſaurarius Pruſſiæ.

Mandatum ei, bona Regia, aut vacua, aut a non indigenis poſſeſſa, tanquam vacua occupare.

(Cc)

ſa, tanquam vacua occupare, & adminiſtrationem eorum indigenis committere, ut tamen utrumque, usque ad futurum generalem conventum differret. Cum vero interregno illo nullus ſequeretur generalis conventus, Theſaurario peragere non licuit, quod demum poſt conventum peragi debuit, atque ita antiquum jus novo *laudo* fruſtra inſtauratum eſt.

Cur hodie publicam pecuniam non recipiat & expendat.

Ceſſat etiam ejus officium, in recipienda & expendenda pecunia publica, annos circiter quadraginta, ex quo in conventibus nulla tributa, quæ in theſaurum inferrentur ſcita, ſed decreta in comitiis a. 1717 in militum ſtipendium ſemeſtris penſio, pariter a Pruſſis confertur, quam miſſi a *regiminibus* ſeu legionibus, quibus ſua portio ex Pruſſia aſſignata eſt, ſtato tempore exigunt.

Ejus reditus.

Habet Theſaurarius ſuos reditus, eratque annuum quater mille florenorum, quod ex œconomia Mariæburgenſi præſtabatur, quodque ſibi non eſſe præſtitum, Theſaurarii ſæpe queſti ſunt, ac injunctum a. 1730 Nuntiis ad comitia, curare, ut annuum illud ex œconomia, non ſolum in poſterum, ſed etiam quod ſuperioribus annis non numeratum, repræſentetur. Idem Nuntiis ad comitia convocationis anno 1733 profecturis mandatum, computatis annis ſedecim, quibus Theſaurarius ex Mariæburgenſi œconomia nihil recepiſſet. Cum vero nihil impetratum eſſet, idem negotium & Legatis ad Sacram Regiam Majeſtatem, AUGUSTUM III. a. 1734, ac Nuntiis ad comitia ſequenti anno commendatum, & his quidem tanto ſtudio, ut nihil aggredi permitterent, quam huic pro Theſaurario poſtulato Regni Ordines annuiſſent. Sed comitiis ante Marſchalci electionem irritis, navare Theſaurario operam Nuntii non poterant, neque ex hoc tempore data eſt copia, quod Pruſſi nulla comitia adierint. Præter memoratum annuum, aliquid ei ex tributis obveniebat, cui a. 1680 Ordines ex ſingulis florenis groſſum dimidium addebant, quod quamvis in gratiam ſolius Denhofii, qui illo tempore Theſaurarius erat, fiebat, pro ejus tamen ſucceſſoribus a. 1690 & 1696 repetitum eſt. Hodie, ſolitis olim tributis in ſemeſtrem pro militibus Regni penſionem mutatis, pro eo, quod ex tributis accipiebat, ex penſione illa ipſi certa ſumma decreta eſt.

Poſſe eum ſimul Conſiliarium eſſe.

Quamvis Theſaurarius ob hoc munus ſuum in numero Conſiliariorum non eſt, fit tamen Conſiliarius, quando ſimul Succamerarius, Caſtellanus, Palatinus, evadit, quæ dignitates plerumque Theſaurariis collatæ ſunt, ut ſimul Theſaurarii manerent, neque

neque exemplis eorum deſtituimur, quibus cum Conſiliarii jam eſſent, theſaurariatus additus eſt. Habet Theſaurarius miniſtrum, quem ipſe conſtituit, qui theſauri Notarius vocatur, & cujus eſt, ea curare, quæ ad theſauri rationes pertinent. Annuum ei erat florenorum ſeptingentorum & viginti, quod ex laudo anni 1660 intelligitur, ubi mille & octingenti floreni in ſalarium duorum annorum cum dimidio computantur. Præter hoc annuum, fit in actis publicis *diariorum* & *diariorum hebdomadariorum* mentio, quæ cum ſalario ex publicis tributis retinere ei licebat. Quia vero ut modo dictum, ſemeſtris penſio in tributorum priorum locum ſucceſſit, ex illa ei aliquid ad Theſaurarii exemplum obvenit.

De Notario theſauri ejusque ſalario.

(Ee)

§. 80.

Quodnam Enſiferi officium ſit, an Regi enſem prætulerit, & qualem enſem, cum publicum Pruſſia non habeat, id quidem, hiſtoria ſuperiorum temporum ſilente, ignoratur. Nobis ſufficere debet, eſſe in Pruſſia Enſiferum, & fuiſſe olim. Superſunt enim conſtitutiones Pruſſiæ a. 1506 compoſitæ, ſed non probatæ publicatæque, ut legum auctoritatem reciperent, quæ Gladiferi communis terrarum Pruſſiæ mentionem faciunt, qui Gladifer

Pruſſiæ Enſifer.

Gladifer idem, qui hodie Enſifer vocatur. Poſtea de Gladifero aut Enſifero Pruſſiæ, in ſæculum decimum ſeptimum ſiletur, occurritque demum inter ſuffragatores electi VLADISLAI IV. & quidem ex palatinatu Pomeraniæ, hoc titulo inſignitus, Andreas Zaleſki, quem Joannes Wąglikowſcius excepit, & hunc alii. Contra inveniuntur Enſiferi ſingulorum palatinatuum, ut tempore STEPHANI, Jacobus Koſtka, Enſifer Culmenſis, & SIGISMUNDI III. Enſifer Pomeraniæ, cujus locus cum vacuus eſſet, orarunt Pruſſi Regem, ut novum crearet, quod Rex in comitia diſtulit. Obliteratis poſtea palatinatuum Enſiferis, mentio fieri cœpit Enſiferi totius Pruſſiæ, cum quo de priore loco in conventibus a. 1728. 1730 & 1735, Vexilliferi contenderunt, ac ita ceſſerunt, ne ex hac ipſorum facilitate, Enſifer ſibi in poſterum jus præ Vexilliferis arrogaret. Antea & quidem a. 1690 ruptus Svecenſis conventus particularis, quod Vexillifer Mariæburgenſis Enſifero nollet cedere, & a. 1699 non permittebant Vexilliferi, ut inter Nuntios ad comitia, ſuis nominibus abſentis Enſiferi nomen præponeretur, quo efficiebant, ut is numero Nuntiorum eximeretur. In aliis actis publicis, ſcilicet in *inſtructionibus* ad comitia

Enſiferi olim in palatinatibus.

De priore loco inter Enſiferum & Vexilliferos lis.

mitia a. 1672. 1674. 1676; in *laudis generalis subsidii personalis* aliorumque tributorum a. 1673. 1674. 1700; & in *confœderatione* Graudentinensi tempore interregni post JOANNEM III. Ensifer ante Vexilliferos; sed in *instructione* ad comitia convocationis a. 1696, Vexillifer Mariæburgensis ante Ensiferum legitur. In conventu a. 1728, antequam in suum conclave secederet Nobilitas, Vexilliferi ad latus Succamerarii Mariæburgensis, Ensifer post civitates majores considebat.

§. 81.

Vexilliferi in Prussia & eorum antiquitas. Vexilliferos, Prussiæ Ensifero esse vetustiores, satis constat, cum jam Crucigerorum tempore fuerint. Mutato imperio, manserunt Vexilliferi, quorum numerus, qui olim major, ad tres redactus, ut in singulis palatinatibus essent singuli, donec JOANNES III. quartum, *Olim tres, jam quatuor.* pro terra Michelovienſi, quæ alias Culmensis palatinatus pars est, crearet. Eorum est, præferre palatinatus sui vexillum, quando Nobilitas intra fines Prussiæ generalem expeditionem suscipit, aut *Illorum munus.* ante expeditionem lustratur. Cum a. 1651 palatinatus Pomeraniæ Nobilitas prope Stargardiam lustraretur, primus cum vexillo equitabat Vexillifer, post eum, absente Palatino, Castellanus Gedanensis, quem Nobiles, qui aderant, sequebantur.

§. 82.

Judices terrestres a quo tempore repetendi. Judices terrestres non minus, quam Vexilliferi, ab ætate Crucigerorum repetendi sunt, qui eos instituerunt, ut Nobilitati jus dicerent. Poloniæ Rex CASIMIRUS a. 1468 sex creavit, in palatinatibus Culmensi & Mariæburgensi singulos, in Pomeraniæ quatuor, ut Dirsaviensis, Slochaviensis, Svecensis & Gedanensis *Illorum numerus, electio & jusjurandum.* tractus, haberent singulos *. Postea Judicum numerus auctus est. Michelovienſis terra enim obtinuit suum Judicem, cum totius palatinatus Culmensis fuisset unus. In Pomerania, tractibus Gedanensi & Dirsaviensi sub uno junctis, Judicibus Slochaviensi & Svecensi, Tucholiensis, Mirachoiensis, Pucensis, additi sunt, ut jam in Prussia sint Judices terrestres novem. Eliguntur a Nobilitate sui palatinatus aut tractus, in conventu, a Palatino intra sex hebdomades post defuncti obitum indicendo, electi a Rege confirmantur, & confirmatione Regia exhibita, in loco, ubi haberi solent judicia, coram Nobilitate, quæ ad judicia convenit, in jus scriptum & æquitatem jurant. Hæc, nec non ut judices *Quales judices eligendi.* eligendi, sint Nobiles, indigenæ, integræ famæ, & in suo palatinatu bonorum

rum equestrium possessores, *Jus terrestre Nobilitatis Prussiæ correctum*, tit. V. §. 15 & 21 præcipit, ubi §. 16 etiam ipsum jusjurandum legitur.

* Dlugoss. Histor. Polon. XIII. 434.

§. 83.

Judicum terrestrium Assessores. Habent Judices *terrestres* suos Assessores, qui *Scabini terrestres* appellantur, & quidem octo, non tamen omnium præsentia in judiciis exigitur, sed sufficit, si tres adfuerint. Illos, ut judices, Nobiles, indigenas, integræ famæ esse, & in palatinatu suo possessiones habere oportet. Eliguntur a Nobilitate, quæ ad judicia confluxit, primo judiciorum die, ac statim ut electi, sine Regia confirmatione, præstito ad eandem formulam, ad quam judices, jurejurando, munus suum ingrediuntur *. *Quorum in Culmensi palatinatu, ex civitate Thorunensi duo.* Inter palatinatus Culmensis *Scabinos*, duo sunt ex Magistratu Thorunensi, qui a Nobilitate, ut *Scabini* reliqui eliguntur, idque ea ex causa, quia Thorunum bona habet *terrestria*, seu nobilia, per quæ jus hoc civitati inhæret, ut inter Nobiles in Nobiles jus dicat. Quo etiam duo hi *Scabini*, ut cæteri, possessiones *terrestres* habeant, solet civitas ex suis, bona illis conferre, ita tamen ut civitatis maneant. *Lis de priore inter Assesso-res & Notarii loco.* A. 1730 *Scabinis*, de priore loco, *Notarii terrestres* controversiam moverunt, cum tamen in jure *terrestri* & actis publicis, *Scabini* ante *Notarios* leguntur.

* Jus terrestre tit. V. §. 17. 19. 21. 22.

§. 84.

Notarii terrestres. *Notarii terrestres*, alias judicii terrestris scribæ dicerentur, quia quæ in judicio aguntur, & ab illo decernuntur, scribunt; sed non tantum scribunt, verum etiam quid decernendum, judicio suggerunt, cum præ aliis, juris bene periti, & usu edocti sint, ut ideo in judiciis multum polleant. Eliguntur, ut Scabini, a Nobilitate, nec aliter, nisi nobiles, indigenæ, integræ famæ, & bonorum terrestrium in suo palatinatu possessores sint: & quia in palatinatu Pomeraniæ plura sunt judicia, eaque omnia unus palatinatus illius obit Notarius, universa palatinatus Nobilitas, electionem in conventu, quem Palatinus intra sex hebdomades, ex quo prior mortuus, aut ad aliam dignitatem evectus est, Starogardiam indixit, peragit. Jurant Notarii: *se juste secundum DEum, jus scriptum, æquitatem & partium controversias, protestationes juridicas, judicis decreta, in librum actorum terrestrium inscripturos, in judicando, consulendo & scribendo, solum DEum, justitiam sanctam & æquitatem, partium recognitiones, controversias, ac judicis sententias,* in

in hisque omnibus, conſcientiæ ſuæ judicium ſecuturos & audituros, aliaque negotia ſibi incumbentia, fideliter & pro poſſe ſuo peracturos eſſe *.

* Jus terreſtre tit. V. §. 17. 18. 20. 21.

§. 85.

Capitanei & Tenutarii.

Commemoratis, qui non Conſiliarii, dignitates & publica munia obeunt, addimus bonorum Regiorum poſſeſſores, quorum alii Capitanei, alii Tenutarii dicuntur. Ex Capitaneis, ſoli Kovalevienſis, Chriſtburgenſis, & Schœneccenſis alias Skarzevienſis, jus dicunt, qui ſimul ſunt Palatini, ut nemo niſi eorundem locorum Palatinus, capitaneatus illos habere poſſit; quod antea monitum, cum de Palatinis eſſet ſermo. De *capitaneatibus* autem & *tenutis*, unde *Capitaneis* & *Tenutariis* nomen eſt, in jure publico Regni Poloni Lib. 2. c. 11 egimus, & c. 10 bona menſæ Regiæ, ſeu œconomias, deſcripſimus: quales in Pruſſi duæ ſunt, Mariæburgenſis & Roggenhuſana, quas qui conducunt, *Oeconomi* vocantur.

Oeconomi.

§. 86.

Nihil de Pruſſis ſine ipſorum conſenſu decerni poſſe.

Progredior ad Pruſſorum jura, quæ olim in libello de *Norma regiminis Prutenici* memoravi, jam vero uſu recentiorum temporum explananda ſunt. Recte dicitur, hac lege fundatum eſſe Pruſſorum regimen, quod in rebus, quæ alicujus momenti ſunt, ſine Pruſſorum conſilio & conſenſu nihil conſtitui queat, quales res, privilegium *incorporationis*, *cauſas notabiles terras* Pruſſiæ *concernentes*, nominat: quasque ad negotia Regni Poloni, Pruſſi extendi noluerunt, ne conſulti, opem ferre Regno obligarentur. Sed prævaluit conſvetudo, ut jam non ſolius Pruſſiæ, ſed ſimul Poloniæ & Litvaniæ res, cum Pruſſis in ſuis conventibus communicentur, quo & conſilio & ope adſint. Quod ſi vero vel ipſis inconſultis, vel non conſentientibus, adverſus Pruſſos in comitiis aliquid ſncitur, contradicentes ad legem illam ho *cauſis notabilibus* provocant. Regi ſoENRICO anno 1574 demonſtrabatur: „quod nihil conſtitui, nihil agi vel decerni potuerit, ſine conſilio & ſcitu „omnium Statuum & Ordinum, idque „intra limites terrarum Pruſſiæ, adeo, „ut Reges, quotiescunque aliquid agere „vel conſtituere voluerint, quod dictas „terras & earum incolas concerneret, „id nunquam fecerint, niſi cum conſilio Conſiliariorum earundem terrarum, ita ut conventibus Pruſſicis vel „præſentes intereſſent, vel aliquem „oratorem mitterent, qui poſtulata Regum proponeret *„. Poſtea quoties occaſio ferret, idem jus repetitum com-

mendatumque, poſſuntque mandata Nunciorum ad comitia anno 1596. 1630. 1635. 1664. 1669. 1674. 1676. 1699 &c. in teſtimonium citari.

* Hiſtor. Pruſſ. III. Doc. p. 30.

§. 87.

Quid in bella extra Pruſſiam geſta Pruſſi contulerint.

Quoties ergo geſtum bellum, etiamſi longius a Pruſſiæ finibus gereretur, ut cum Ruſſis, Turcis, Tattaris, Coſacis, conſulti Pruſſi, multo magis quando ſuæ provinciæ illata arma, ut ab Ordine Teutonico & Svecis illata ſunt, quorumque vim ſuſtinuerunt. Quando extra Pruſſiam geſta bella, Pruſſi pecunia ſemper, milite interdum, ſed rariu Regi & Reipublicæ Polonæ adfueru ægre tamen paſſi, ſi Polonus miles Pruſſia, ſive hieme, ſive æſtate, hoſpita retur, aut cum gravi incolarum injuria, tranſitus ſpecie, per provinciam vagaretur, ac pecuniam commeatumque extorqueret, cum ea omnia ſine ipſorum conſenſu fierent. Hinc non tantum querelæ ad Regem & Regni Ordines delatæ, ſed etiam ſancita, quibus hæc militum licentia reprimeretur. A. 1617. 1621. 1632. 1634. 1649 &c. Rex & Regni Ordines rogati, ne milites conducendi in Pruſſia hoſpitarentur, au per Pruſſiam tranſirent; & cum utrumque nihilominus fieret, ut onere hoc li-

Militum hoſpitia & per Pruſſiam tranſitus.

berarentur Pruſſi, anno 1630. 1646. 1651. 1652. 1654. 1660 &c. flagitarunt. Nec non adverſus ejusmodi militum licentiam, per lauda a. 1621. 1648. 1653. 1662. 1673. 1685 &c. vis, excita in eos Nobilitate, decreta eſt. Quod ſi vero exercitus Poloni milites in Pruſſia locandi, aut pro illo ibidem novi ſcribendi, Pruſſorum conſenſu opus eſt. A. 1607 & 1608 Nuntiis in comitia injungebatur, curare, ne Rex de ſcribendis hoſpitandisque militibus, ſine conſilio & conſenſu Conſiliariorum Pruſſiæ, aliquid ſtatueret, cum utrumque ad cauſas Pruſſiæ *notabiles* pertineret. Idem anno 1613 & 1615 de hoſpitiis repetitum, ita tamen, ut non ſolus Conſiliariorum conſenſus, ſed omnium Ordinum accederet. Quare citato a. 1613. Rex SIGISMUNDUS III. promittebat, collaturum ſe cum Ordinibus Pruſſiæ conſilia, antequam hoſpitia in ea provincia aſſignarentur: eidemque Regi modus, qui in hoſpitando milite ſervandus ſit, a. 1621 commendatus eſt. Cum vero nequeat ſcribi miles, niſi Regni Ordinum conſenſu, non poteſt aliter fieri, quam ut Pruſſi in ſuo conventu antecomitiali conſulantur: eſtque Pruſſiæ *laudum* a. 1678, quod militem ſcribere vetat, niſi litteræ Regiæ ex conſenſu Reipublicæ datæ, & commendatio Ducum

Quomodo milites ſcribendi.

Locati in Pruſſia milites.

exercitus Regni exhibitæ fuerint, eumque, qui aliter ſcripturus militem ſit, hoſtem patriæ judicat. Ordinati a. 1717 novo modo exercitus Poloni pars in Pruſſia locata, nullo antea Pruſſorum conſenſu.

§. 88.

Pruſſos Polonis nonnunquam milite ſubveniſſe.

Quando extra Pruſſiam bella gerebantur, nonnunquam milites, pecuniam ſemper præſtabant Pruſſi, ut §. proximo dictum. Interregno poſt mortem VLADISLAI IV. mille & ducenti, anno 1649 ſexcenti, & a. 1673 octingenti milites in auxilium decreti. Pecunia, ordinarium fuit ſubſidium, cum in ſtipendia militum, tum in alios belli ſumtus, quæ per tributa collata eſt. Et hic jam opportunus videtur eſſe locus, diſſerendi de modo, quo tributa conſtituta, ac de tributorum generibus, in quibus jure ſuo uſi Pruſſi, quod dum jam per quadraginta annos ceſſat, forſan apud multos obliteratum eſt. Fuit inter Polonos & Pruſſos omni tempore contentio, utrum Pruſſi, una cum Polonis, in comitiis Regni, eadem tributa decernere obligarentur, an vero ſeorſum in ſuis conventibus, libere & ſuo more, eadem ſciſcere poſſent. Prius Poloni ex vinculo, quo Poloniæ Pruſſia jungitur; ex *ſponſione reciproca*, qua Pruſſi Regibus Poloniæ ope, præſidio, conſilio & auxilio, contra quoscunque hoſtes adeſſe polliciti; & ex decreto SIGISMUNDI AUGUSTI a. 1569 Lublini lato, quod eadem cum incolis Regni, Pruſſis onera imponit, deduxerunt. Poſterius Pruſſi aſſerentes, negarunt, tributorum neceſſariam communionem, ex conjunctione cum Polonia fluere, cum conjunctio illa ſalvis Pruſſorum juribus peracta ſit, per quæ Pruſſi, in ſuum tantum non in alienum commodum, pecuniam libere decernere conſveviſſent, ac tributa pertinere ad cauſas *notabiles*, quæ per privilegium *incorporationis*, cum Ordinibus Pruſſiæ tractandæ & conſtituendæ eſſent. Ad reliqua duo argumenta reſponderunt: Sponſionem reciprocam loqui de conſilio & auxilio præſtando, ſed modum, quo auxilium præſtandum, nec non locum, quo conſilia conferenda, ſilere, ac utrumque in conventu Pruſſiæ fieri oportuiſſe, cum Pruſſi olim Regni comitia non frequentaverint. Lublinenſe denique decretum, Pruſſos pro lege nunquam habuiſſe, cum potius eidem contradixerint. Cum vero ipſis exprobaretur, quod in publica Regni neceſſitate omnino immunes eſſe vellent, ingenue a. 1574 fatebantur: „ſibi hoc ne in „mentem quidem veniſſe, cum de eo „tantum

Pro his collata pecunia.

Num Pruſſi una cum Polonis, in comitiis tributa decernere debeant.

„ tantum agatur, ut more patrio, ſalvis „ privilegiis, ex communi conſenſu & ar„ bitrio, in publico terrarum Pruſſiæ con„ ventu, de tributis, quoties uſus & neceſſi„ tas exigerent, deliberationes habeantur, „ nullâ Regni conſtitutione adigente *„.

Tributa a Pruſſis in conventibus ſuis decernenda.

Morem illum patrium ad quem citato anno Pruſſi provocarunt, ſervare illibatum, omni tempore ſummo ſtudio anniſi ſunt, ut quoties ad comitia Nuntios mitterent, eos per fidem, honorem, conſcientiam obligarent, ne in comitiis de tributis aliquid ſtatuerent, ſed rem illam provinciæ ſuæ Ordinibus ſervarent integram, ut hi in conventu poſtcomitiali, libere non tantum tributa ſciscerent, ſed etiam genera tributorum, & modum quo præſtarentur, definirent. Nec minus pro teſtimonio citari poſſunt palatinatuum & terrarum declarationes, Regni conſtitutionibus adjectæ, in quibus legitur, Pruſſos tributa ad fratres & ad conventum ſuum poſtcomitialem remiſiſſe.

Irrogata Pruſſis in comitiis tributa, ab illis non probata & exigi vetita.

Non quidem diffitemur, interdum in comitiis pecuniam Pruſſiæ fuiſſe imperatam, vel ſine conſenſu Pruſſorum, vel Pruſſis contra mandatum ſuum conſentientibus, quod tantum abeſt, ut Ordines probarent, ut potius irritum declararent. Irrogatæ in comitiis a. 1606 Pruſſis pecuniæ, qui ex Pruſſia aderant, non ſolum verbis,

verbis, ſed etiam ſcripto, coram caſtrenſi judicio Varſavienſi contradixerunt, addito: „ quod nullum tributum promi„ ſerint, nec promittendi poteſtatem „ habuerint, ſed totum hoc negotium, „ ſecundum antiqua jura & conſvetudi„ nem terrarum Pruſſiæ, ad reliquos Sta„ tus & Ordines Terrarum, ex mandato „ ſuo receperint „. Impoſitis a. 1616 Prûſſiæ duabus *agrariis* totidemque *accifis*, miſſisque in Pruſſiam, ut penderentur, litteris, Nobilitas Culmenſis coram judicio civili Radzinenſi, civitates majores coram caſtrenſi Brombergenſi, contradicebant, & Rex neceſſe habebat, cum Ordinibus in conventu poſtcomitiali, de tributis ſeorſum deliberare: quo nomine Ipſi gratias agebant Ordines, & tum agrariam unam, tum acciſas duas decernebant, irrito, quod in comitiis in Pruſſos conſtitutum erat **. A. 1661 in comitiis Nuntii urgere debebant, ne ulla onera Pruſſiæ terris imponerentur, & Ordinibus inconſultis impoſita pro irritos haberentur. Ex hac cauſa, decreta abſentibus Pruſſis in comitiis a. 1673 tributa, pendi in Pruſſia Ordines vetabant, Palatinis injungentes, etiam arma in eos vertere, qui exigere auderent. Nec minus ſequenti anno iidem Ordines profesſi: „ terras Pruſſiæ, quotiescunque ſub„ veniendo

„ veniendo neceſſitatibus Reipublicæ, tri-
„ buta decreviſſent, eadem non ex im-
„ poſitione ſancitorum Reipublicæ, ſed
„ liberis & ſpontaneis voluntatibus, pro
„ modulo facultatum, in conventibus
„ ſuis ordinaſſe & contuliſſe ***„. Quare omnia tributa extra conventum generalem ſine Pruſſis in Pruſſos conſtituta, minus legitima, & quæ nullo tempore exemplo eſſe deberent, a. 1712 declarabantur: idque ſequenti anno repetebatur. Nihilominus eo ipſo anno, quo Ordines indignabantur, exactam etiam vi pecuniam, in quam Pruſſi non conſenſisſent, tres Pruſſiæ Conſiliarii, habito cum Regni Theſaurario Varſaviæ colloquio, trecenta nummorum imperialium millia Pruſſiæ imponebant: quod Varmienſis Epiſcopus, qui ex Conſiliariis illis unus fuerat, neceſſitate excuſare conabatur. ****.

(Ff) *Tributi a tribus Conſiliariis impoſiti exemplum.*

* Hiſt. Pruſſ. III. Doc. p. 31.
** Hiſt. Pruſſ. V. Doc. p. 9. 59-61.
*** Hiſtor. Pruſſ. VIII. 88. Doc. p. 24.
**** Hiſt. Pruſſ. IX. 287. 288.

§. 89.

Tributa in comitiis Regni decreta ad Pruſ- *ſos non pertinere, nec Pruſſis licere ibidem in tributa conſentire.*

Nonnunquam Pruſſos, ſecus ac ipſis mandatum, tributis in comitiis aſſenſos eſſe, exempla a. 1611. 1613. 1618. 1632. 1676. 1677. 1685 docent, quod ægre latum ab iis, qui domi remanſerant, neque tributa

tributa exigi poterant, niſi in poſtcomitiali conventu approbarentur. A. 1612 negabant Ordines, Nuntios ſuos in proximis comitiis a. 1611, in tributa cenſenſiſſe, vocabantque rem mali exempli, aliter quidquam in acta comitialia, quam conſenſum eſſet, referre: neque Pomeraniæ palatinatus Nobilitas ſuam contradictionem, judicio terreſtri Starogardiæ exhibere omiſit. Tributis, quibus in duobus comitiis a. 1613 ex Pruſſia Nuntii asſenſi, novo conſenſu in totidem poſtcomitialibus conventibus opus erat, civitatibus, quibus negotium hoc integrum relictum, ſuam portionem addentibus. Idem dicendum de agraria in comitiis a. 1618 decreta, quæ ſimul altera augebatur. Cum a. 1632 duo Nuntii, palatinatus Culmenſis ac terrarum Svecenſis & Pucenſis nomine, in *fumale* tributum conſentirent, extemplo ad veterem morem provocabat Culmenſis Palatinus, cui Jac. Sobiescius, unus ex Nuntiis Polonis, ſuo teſtimonio, Pruſſis ſemper tributa ad conventum ſuum poſtcomitialem diſtuliſſe, ſubveniebat, & majores civitates, contradictionem Nuntiorum Marſchalco exhibebant, qui vicisſim civitates contradixiſſe, ſcripto teſtabatur: cujus teſtimonium *metricæ* Regni & contradictio civitatum actis *caſtrenſibus*

ſibus Zakroczimenſibus inſerebatur *. Fumale autem illud, Pruſſi in conventu ſuo irritum declarabant, *agrarias & acciſas* præferentes. In comitiis a. 1676 & 1677 decretam a ſuis pecuniam Ordines ægre ferebant, Regemque orabant, ne Nuntii ex Pruſſia in poſterum a Regni Ordinibus, ad conſenſum in tributa adigerentur. Poſt comitia a. 1685, Pruſſi in ſuo conventu, ſuo more, tributa ſciscebant, quaſi a ſuis Nuntiis in iisdem comitiis nihil promiſſum fuiſſet: imo iis omnibus contradicebant, quæ in eorundem comitiorum conſtitutionibus, juribus & immunitatibus terrarum, civitatum, & privatorum adverſarentur, aut
(Gg) officere poſſent: & civitates majores, in ſua judicio civili Graudentinenſi exhibita contradictione, pecuniæ, a Pruſſiæ Nuntiis in comitiis promiſſæ, ſigillatim mentionem faciebant. Cum a. 1662 in comitiis, tributum perſonale, cui nomen a capite, placeret, ac Pruſſorum aſſenſus flagitaretur, hi in jure ſuo perſtabant, ab eo ne latum quidem ungvem ſe receſſuros prædicantes, utque Polonorum ex ea cauſa commoti animi lenirentur, aſſeverabat Primas, qui Varmienſis antea Epiſcopus fuerat, Pruſſos ſemper conſveviſſe, tributa ex comitiis ad proximum ſuum conventum remittere, & fruſtra urgeri,

urgeri, quod per jura ab iis fieri non liceret. Neque alii deerant, qui Pruſſorum cauſam ſuſciperent, omniumque ultimus Rex declarabat: eſſe ſibi conſtitutum, Pruſſos in uſu jurium & conſvetudinum integro relinquere **. In conſilio magno a. 1710 abſentes Pruſſi tributis Polonorum ſubjiciebantur: quare in conventu, eodem anno in Schotlandiam & Gedanum prorogato, diſputatum graviter, an Pruſſi tributis, quæ ipſi in ſua provincia non ſciviſſent, tenerentur, vicitque ſententia, quæ vetera jura tuebatur ***.

* Hiſtor. Pruſſ. V. 250. 251.

** Hiſt. Pruſſ. VII. 290. 292.

*** Hiſt. Pruſſ. IX. 250. 258. 260. 261. 263. 264.

§. 90.

Quod ad tributorum genera, ordinarium olim fuit, *acciſa* polentaria, (Malz-Acciſe), quæ ex polenta ſeu braſeo a Nobilitate & civitatibus ſolvebatur. Regnante STEPHANO, placuit Nobilitati, ad Polonorum morem, agros vectigales reddere, & pro acciſa pecuniam agrariam præſtare, civitatibus polentariam *acciſam* retinentibus. Præſtabatur agraria ex ſingulis jugeribus, ſeu *manſis*, bonorum Regiorum, eccleſiaſticorum, nobilium aliorumque, civitatum agris exceptis,

Tributorum genera. *Inducta pecunia agraria.* *Agraria plures.*

exceptis, nisi quod Thorunenses ex suis, quos jure nobilium tenent, agrariam conferrent. Agraria æstimabatur ex singulis *mansis* cultis, floreno uno, ex non cultis, dimidio, ex aliis nonnullis, etiam supra florenum unum. Non autem una sciscebatur agraria, sed pro ratione sumtuum plures, crevitque numerus cum tempore, ut cum antea, tum anno 1713, quo ultimum ad præsens, decretæ agrariæ, triginta & unam, & a. 1700 quadraginta sex efficerent. Ne quis vero minorem numerum jugerum profiteretur, quam possideret, thesaurumque falleret, obtinuit olim, ut recentiores *apochæ* essent pro regula, & pro tot jugeribus repræsentarentur agrariæ, quot in *apochis* legebantur: quare *lauda* tributorum antiquiora, juxta posteriores *quietationes* agrarias conferri præcipiunt. A. 1668 lustratis agris, numerus jugerum in singulis jurejurando confirmatus, in indicem referebatur, qui vulgo *tariffa* vocatur, ac in annum 1680 valuit, quo sancitum, ut hæc *tariffa*, & si quæ aliæ, plane abrogarentur, licet sequenti anno, Mariæbugensis & Pomeraniæ palatinatus, ad eam *tariffam*, sed pro illo tantum anno, jugerum numerum computarent, cum Cnlmensis palatinatus numerum jugerum, qui usque ad

De jugerum numero, ex quibus agrariæ.

Tariffa.

ad bellum Svecicum valuerat, præferret. Successit a. 1682 nova *tariffa*, cujus auctoritas mansit, nisi quod a. 1683 Culmensis & Pomeraniæ palatinatus ab ea deflecterent. Pro agraria, iis, qui ruri, in vicis & suburbiis extra civitatum jurisdictionem habitabant, & agros non colebant, sed alia exercebant, scilicet propolis, opificibus, cauponibus, cerevisiam coquentibus, musicis, piscatoribus, officinas ferrarias & vitriarias exercentibus, molitoribus, pastoribus, mercenariis diurnis aliisque, certa pecunia imperabatur: quam, ut agrarias, exigebant, qui hanc in rem a Nobilitate constituti erant, & quidem in Culmensi & Mariæburgensi, singuli, in Pomeraniæ palatinatu, qui in plures terras dividitur, plures. Exactores hi integre se in hoc suo munere versaturos, coram judicio castrensi vel terrestri jurabant, & salario, ex singulis florenis, grosso uno constituto, pecunias receptas in thesaurum Prussiæ, rationibus simul exhibitis, inferebant. Varmiensis & Culmensis Episcopi, in suis episcopatibus, per suos exactores tributa colligi, & ad Thesaurum deferri curabant. Quæ carptim exposita, fusius in *laudis* tributorum, quorum exempla aliquot, *documentis* historiæ Prussiæ inseruimus, describuntur.

Tributum eorum, qui in vicis habitantes, agros non colunt.

Tributorum exactores.

Illorum laudæ.

L 2 §. 91.

§. 91.

Accisæ polentariæ civitatum tributum. Civitates *accisas* polentarias retinuisse, cum Nobilitas præferret agrarias, initio præcedentis §. dictum. Singulæ accisæ erant duorum solidorum ex singulis polentæ, in cerevisiæ usum paratæ, modiis, qui solidi ad numerum accisarum multiplicabantur, ut si quinque sciscerentur *accisæ*, ex modiis singulis deni, si decem, viceni, si viginti, quadrageni &c. præstarentur solidi. *Illarum collatio cum agrariis.* Numerus *accisarum* ad agrariarum referebatur, & cum olim postulasset Nobilitas, ut civitates vel in singulos modios quaternos computarent solidos, vel ad unam agrariam duas *accisas* decernerent, neutrum ita probabant, ut in hoc facultatem suam circumscribi vellent. Attamen a. 1601. 1603. 1607. 1609. 1610. 1616. 1619. 1634. 1642. 1647. civitates ad agrarias *accisas* duplicabant. Contra anno 1612. 1613. 1614. 1634. par erat agrariarum & *accisarum* numerus; sed a. 1632. 1638 duæ agrariæ & tres *accisæ*, 1649 tres agrariæ & quatuor *accisæ*, 1650 agraria una cum una & dimidia *accisa*, 1658 sex agrariæ & novem *accisæ* conveniebant. Postea non quidem plane, fere tamen *accisæ* duplicatæ sunt, civitatibus a. 1682 ad quinque agrarias, *accisas* novem, a. 1683 ad duas & viginti agrarias, quadraginta

ginta duas *accisas*, a. 1687 ad unam & viginti agrarias, *accisas* quadraginta, a. 1689. 1692. 1700. 1713. ad unam supra triginta agrariam, quinquaginta novem *accisas* conferentibus. Id erat sine exemplo, cum a. 1713 solum Gedanum, nomine *doni gratuiti*, in accisas centum & octodecim consentiret. *Accisæ* in civitatibus a Magistratu exigebantur, & ab illo Thesaurario numerabantur. *Ingens & insolitus accisarum numerus.*

§. 92.

Ex singulis agrariis in thesaurum summam triginta millium florenorum illatam esse, Ordines anno 1652 *laudo* testabantur: sed summam illam justo majorem fuisse, simul in eam computatum, quod ad unam agrariam, ex accisis conferebatur, illius anni historia * docet. *Summa ex singulis agrariis.* Ad hæc non potuerunt accisæ ad certos calculos revocari, quia illæ ex cerevisiæ, quæ bibebatur, pendebantur copia, quæ cum incerta, id quod ex accisis proveniebat, ad certam summam redigi nequibat. Id etiam constat, reditus ex accisis, evasisse sensim minores, motasque eo nomine sæpe a Nobilitate querelas, ac civitates in suspicionem incidisse, ac si non integros repræsentarent: quæ fidem suam tuitæ, demonstrabant, imminui in dies ex cerevisia in civitatibus quæstum, cum is in vicinis *Quantum ex accisis provenerit, incertum.*

 Regiis,

Regiis, ecclesiasticis & nobilium fundis cresceret, qui *accisis* immunes, & meliorem & minore pretio cerevisiam parare possent.

* Hist. Pruss. VII. 86. 88.

§. 93.

Alia præter agrarias & accisas tributorum genera.

Præter agrarias & accisas,' aliorum tributorum exempla non desunt. Anno 1581, nobilitate tributum, quod a Regni Ordinibus decretum erat, amplectente, civitates centum & quadraginta millia florenorum receperunt, aliis modis quam per accisas colligenda: & a. 1603, majores civitates binis accisis, quas sciscebant, pecuniæ summam, accisam unam æquantem, modo, qui cuique placeret, exigendam, adjecerunt. Pro agrariis anno 1655 Nobilitas tributum *cornarium*, seu a cornibus, polonice *Rogowe* appellatum, ex pecoribus & jumentis præstandum; a. 1658 cum duabus agrariis, florenum unum ex singulis cerevisiæ doliis; & a. 1662 tributum personale, seu in capita, quod Polonis placuerat, decrevit: in quo ei, post acres contentiones civitates, præter solum Gedanum, assentiebantur. Ejusmodi tributum personale, a. 1673. 1676 & 1700 a Nobilitate repetitum, quod a. 1676 & 1700 etiam civitates probarunt; anno autem 1673, pro illo, centum & quinquaginta florenorum millia per

per accisas colligenda, receperunt: & cum a. 1700 Nobilitas, præter personale illud tributum, etiam *doliarium*, nempe florenum unum ex singulis cerevisiæ doliis, constitueret, illudque simul civitatibus minoribus irrogaret, majores civitates non admiserunt.

§. 94.

Prussi sua & Polonorum tributa æquari noluerunt.

Ut tributa eorumque genera, ex Prussorum pendebant arbitrio, ita nolebant ad certam, & majorem quam ex suis tributis redigeretur, summam adstringi, aut permittere, ut tributa ad Polonorum rationes computarentur, ne tributorum fieret æquatio, factaque æquatione sibi injungeretur, quantum ad necessitates Regni conferrent, & quod non contulissent, tanquam justum debitum exigeretur. Quare cum in comitiis a. 1636 inter palatinatus æquari tributa deberent, mandabatur ex Prussia Nuntiis, ne ejusmodi æquationem, palatinatibus suis ullo modo imponi paterentur, sed ut ei summo studio contradicerent: quod a. 1638 repetitum, & a. 1642 in comitiis solerti cura provideri debebat, ne terræ Prussiæ, *coæquationum* oneri citra meritum involverentur, simul declarari, Prussiæ Ordines in posterum pari cum Regni Ordinibus alacritate, Reipublicæ necessitatibus, recepto tamen in Prussia con-

conferendi tributa usu salvo, minime defuturos esse. In comitiis a. 1652 Nuntiis cavendum erat, ne quid volumini legum, quod initam cum Regni Ordinibus tributorum æquationem probaret, insereretur. In illis & sequentibus comitiis, revocabantur priora Prussorum tributa ad calculos, fatebanturque ipsi, reliqua ad quingenta & viginti duo millia & sedecim florenos crevisse, quæ tribunali Radomiensi se repræsentaturos recipiebant, minime tamen conferri & æquari sua cum Polonorum tributis per-

(Hh) mittebant, & cum nihilominus in constitutionibus *coæquationis* mentio fieret, eam juribus suis adversam, simul contra mentem suam constitutionibus insertam esse, per *manifestationem* declarabant, idemque sequenti anno, *manifestatione* altera repetebant. Monente ergo a. 1678 Rege, ut Prussi cum Poloniæ palatinatibus de *coæquatione* transigerent, injungebatur Nuntiis, hoc onus a Prussiæ terris plane amoliri. Frustra ergo quæritur, quantam portionem Prussi ad tributa Regni conferre consveverint, cum omnem æquationem aversati, non plus pendere voluerint, quam ex tributis in Regni usum proveniret. Erat in conventu Gedanensi a. 1710, qui Prussos non ultra, quam ad vicesimam partem ejus, quod

Frustra quæri de portione, ad Polonorum tributa a Prussis conferenda.

quod universa penderet Polonia, obligari assereret, pro qua alius in Graudentinensi conventu a. 1730, decimam sextam memorabat. Utrumque sine actorum publicorum superioris ævi auctoritate.

§. 95.

Tempus, intra quod tributa præstanda, ab Ordinibus constituebatur, qui etiam agrarias & *accisas*, si major earum numerus, ita dividebant, ut per intervalla conferrentur, & ne tributis exhaurirentur incolæ, novas non decernebant, nisi spatio priorum finito. Singula hæc, quæ hic tangimus, in *laudis* tributorum fusius descripta reperiuntur. Quando pecunia, ante diem, quo in thesaurum inferenda tributa, opus erat, Thesaurario dabatur facultas, a privatis in fidem publicam usuris mutuam sumendi, ex tributis reddendam: jamque anno 1667 (Ii) Thesaurario vetitum, & quidem pœna dupli, sine Ordinum consensu hanc sibi potestatem arrogare. Potestas hæc dabatur peculiari Ordinum decreto, seu *laudo*, in quo & summa, quæ mutuanda & usuræ exprimebantur. Ipsa vero mutuatio, *prænumeratio* vocabatur, quia numerabatur pecunia, antequam tributa exigi possent. Thesaurarius creditoribus thesaurum obligans, simul delegabat *accisas*, ex quibus pecuniam mutuam

Tributorum tempus & præstandi modus.

Pecunia in tributa mutua sumta.

nomine thesauri reciperent, præferebanturque a creditoribus Gedanensium accisæ, in quas pecuniam numerarent. Ne autem inter creditores lis esset, qui in solutione priores essent aliis, solebant delegationes numeris distingvi, ac ordine numerorum, recipi ac liberari. Quando vero pecunia ex accisis, delegationibus non sufficiebat, numero posteriores expectare jubebantur, donec nova tributa sciscerentur, usuris interea crescentibus. Quare quæ in accisas a. 1713 supersunt delegationes, novis post illum annum nondum decretis, in hunc diem persolvi nequiverunt, incertumque, an unquam persolutæ fuerint. Interea licebit creditoribus, in moræ solatium, usuras computare, cum forte aliquando recipiendas, cum Prussia ad veterem sciscendi tributa morem redierit.

§. 96.

Tributa ex variis causis.

Non tantum belli tempore, sed pariter in media pace, & ubi tranquilla omnia, neque in solas Regni, verum etiam in provinciæ suæ necessitates, imo quando Regem dono colere, aut privatos remunerari voluerunt, Prussi tributa decernebant: quod priorum temporum historia docet.

§. 97.

§. 97.

Prussiæ Thesaurarius tributa recipiebat, ac illorum rationes Ordinibus reddebat.

Pecuniam ex tributis, Prussiæ Thesaurarius, qui eam, ut antea dictum, recipiebat, in ea quibus destinata erogabat, ac Ordinibus rationem reddebat: hoc ut in proximo, postquam tributa in thesaurum illata essent, conventu fieret, neque prius nova, quam priorum rationes expeditæ essent, decernerentur, a. 1679 sancitum, non tamen semper usu servatum est, ut a. 1714 Thesaurarius, Dzialynscius, nulla post annum 1700 ratione reddita, moreretur: cujus successor a. 1730, quid ab a. 1717 receptum erogatumque esset, exhibuit, probavitque, se de suis facultatibus in usum provinciæ, centum & novem millia cum quinquaginta septem florenis ac grossis quindecim expendisse, ex qua summa, cum novem millia & quinquaginta septem florenos ac grossos quindecim remisisset, centum millia florenorum Prussicorum, tum alia quinque millia, monetæ in Regno currentis, ex primis tributis refundenda, per *laudum* promissa sunt, nondum tamen persoluta, tributis adhuc nullis decretis, sed promissum illud, tribus *laudis* posterioribus repetitum est. Rationes in Thesaurarii hospitio, a delectis ex Consilio & ordine Equestri excutiebantur, qui de iis ad Ordines refere-

(L I) Rationes non redditæ.

Plus a Thesaurario erogatum quam receptum.

Rationes quomodo exceptæ & Thesaurarius liber declaratus.

(Mm) referebant, horumque nomine rationibus, ſi approbatæ, ſubſcribebatur, ac Theſaurarius peculiari *laudo* liber declarabatur. Theſaurario, antequam rationes reddidiſſet, defuncto, reddebant hæredes, quod a nominati antea Dzialynii hæredibus fieri non potuit, cum neque pecuniam, neque acceptorum expenſorumque tabulas reliquiſſet, hæredesque, quod contracta debita facultates excederent, hæreditatem adire detrectaſſent. Conatus quidem Regni Theſaurarius, jus ſibi in Pruſſiæ Theſaurarium aſſerere, ut eundem tanquam tributorum exactorem inferiorem, ad calculos vocaret, & cum non pareret, aut ex Pruſſia ſumma, opinione minor, in Regni uſum obveniſſet, ad Radomienſe tribunal citaret. Sed Ordines, qui Theſaurarium ſuum, Theſaurario Regni, aut tribunali Radomienſi, ſubjici noluerunt, jus Theſaurarii ſui omni tempore fortiter tuiti ſunt, ut etiam, ſi quid a Radomienſi tribunali in ipſum decretum eſſet, irritum declararent *: quod etiam in comitiis a. 1690 per conſtitutionem factum, ac theſaurariatui Pruſſico vetera jura & conſvetudines ſartæ tectæque conſervatæ ſunt **: cum antea lis de exigendis rationibus, inter utrumque Theſaurarium amice compoſita eſſet ***.

Theſaurario defuncto, ab hæredibus rationes redditæ. Non redditarum ab hæredibus exemplum.

Pruſſiæ Theſaurarium Regni Theſaurario & tribunali Radomienſi non ſubjectum, ac vetera ejus jura aſſerta eſſe.

(Nn) * Hiſt.

* Hiſtor. Pruſſ. VIII. 103. 264. 265.

** Conſtit. a. 1690. p. 15. tit. Zniefienie condemnat.

*** Hiſt. Pruſſ. VIII. 275.

§. 98.

Sed quæ de tributis ac ſciſcendi modo, tum de Theſaurarii, in recipiendo erogandoque, munere dicta ſunt, jam ceſſant, poſtquam exercitui Regni, aliter ac antea ordinato, certum ſtipendium, ſtatis temporibus numerandum, a. 1717 Varſaviæ conſtitutum eſt. Tum enim Pruſſis, conſenſu illorum non requiſito, illius ſtipendii pars irrogata eſt, ut quovis ſemeſtri ſpatio, centum & quinquaginta quinque millia nongentos & vinginti novem florenos cum groſſis tribus & dimidio, *monetæ bonæ*, ſeu Pruſſicæ, conferrent: quam ſummam, inter bona Regia, eccleſiaſtica, nobilium hæreditaria aliaque ac civitates, diſpertiebant illi, quibus id negotium mandatum erat, & in quo primas partes Regni Theſaurarius ſuſtinebat. Ex Pruſſia Palatinus Culmenſis & Theſaurarius adhibebantur, ſed ſine facultate in rem tanti momenti, & cujus provinciæ multum intererat, ingrediendi, & in quos conjiciebat culpam Regni Theſaurarius, ſcum apud ipſum de læſis juribus expoſtularent Pruſſi, qui viciſſim Theſaurarium

Pro ſuperioribus tributis ſemeſtris penſio inſtituta eſt.

Regni

Regni præcipuum auctorem, & hic tandem Leduchovſcium, Tarnogrodenſis *confœderationis* Marſcalcum generalem, arguebat. Ita tributum hoc, quia quovis dimidio anno pendendum, *polroczna placa* appellatum, ſine Pruſſorum conſenſu, extra generalem conventum, Varſaviæ imperatum, a Pruſſis conferri oportuit, recuſandi facultate illis ademta, & civitatibus majoribus, legum præſidio confiſæ, judiciali *manifeſtatione* fruſtra contradicentibus *. Neque omnium Ordinum, poſt annos ſeptendecim profuit querela, anno 1730 dolentium, quod novum tributum, inſciis Pruſſis, & inſtitutum, & inter incolas dispertitum, admodum gravaret provinciam, ſextam ejus, quod univerſa penderet Polonia, partem conferre adactam. Manſit enim tributum, ac donec abrogare Regni Ordinibus in comitiis placuerit, manebit, idque ſingulis annis bis, poſt diem decimam quintam Martii & Septembris, pro iis *regiminibus* ſeu legionibus, quibus ex Pruſſia ſtipendium ſuum conſtitutum eſt, præfecti militares ab illis exigunt, a quibus ſolvendum. Ne autem plus exigatur, quam irrogatum eſt olim, aut ab aliis, quam iis, quibus ex Pruſſia ſtipendium debetur, a. 1717 Varſaviæ exaratus eſt index, alias *tariffa*, ac a Pruſſiæ theſauro publicatus eſt, in quo *regimina*, quæ ſtipendium recipiunt, tum epiſcopatus, abbatiæ, præpoſituræ, aliaque bona eccleſiaſtica, capitaneatus, tenutæ, œconomiæ Regiæ, bona terreſtria cum cæteris ac civitates, denique id, quod a ſingulis ſolvendum, deſcriptum eſt. Præfecti vero militares, qui pecuniam exigunt, aſſignationes, ab eo, qui *regimini* præeſt, ſubſcriptas exhibent, quæ apochæ vicem ſupplentes, ab iis, qui ſolvunt, retinentur. Ex quavis ſemeſtri penſione, quater mille centum & novendecim floreni cum groſſis undecim, theſauro Pruſſiæ ſervantur, & de ſingulis florenis militaris ſtipendii, groſſus unus, quo decem millia, ducenti & quinquaginta ſex floreni cum groſſis viginti, ex quavis *penſione* conficiuntur, titulo groſſalis, groſzowe vulgo, deducitur.

De qua Pruſſi fruſtra queſti. (Oo)

Quomodo exigatur ac præſtetur.

Quid ex ea pro theſauro Pruſſiæ ſervetur.

* Hiſtor. Pruſſ. IX. 308-310.

§. 99.

Immunitas a vectigalibus.

Unum de tributis memorare reſtat, Pruſſos vectigalia, quæ ex mercibus, tum domeſticis, tum advenis, exigi ſolent, decreviſſe nunquam, ſed contradixiſſe & de injuria queſtos eſſe, ſi auctoritate conſtitutionum Regni, aut in provinciam inducta, aut ad fines Pruſſiæ, aut in media Polonia recens inſtituta, aut quæ in limitibus Poloniæ antiquitus fuerint,

rint, aucta sunt. Hæc a novis vectigalibus immunitas, *incorporationis* privilegio nititur, in quo Rex CASIMIRUS, Prussiam omnibus vectigalibus, in aquis & terra, novis & antiquis, liberam declaravit, & ullo tempore ex quacunque caussa institui vetuit: quam immunitatem cum exemplis temporum SIGISMUNDI AUGUSTI & STEPHANI, illi adversis, in differt. *de norma regiminis Pruten.* §. 56. memoravimus. Idem CASIMIRUS, in eodem privilegio, mercatores Prussos ad sola vectigalia, quæ illo tempore in Regni limitibus, ex mercibus, quando extra Regnum vehebantur, pendi solebant, adstringebat. Regnante SIGISMUNDO III. varia in media Prussia, nempe ad album montem, prope vicum Furstenwerder, inter Dirsaviam & majorem Muntaviam, prope Gedanum, Mevam, alibi, & sub VLADISLAO IV. ad Sveczam & Topolno vectigalia instituta, contra quæ Prussi, jus suum asserere non desierunt, donec abrogarentur. Vectigali aquatico, in comitiis a. 1661. decreto, & voce & scriptis contradixerunt, & majores civitates, quarum potissimum res agebatur, malebant in se ferri decretum, quam vectigal subire: qua sua constantia efficiebant, ut etiam decreto exsolverentur, ac illud juribus

Vectigalia in Prussia instituta & sublata.

juribus, haud nociturum, Rex JOANNES CASIMIRUS declararet: Cujus Successor MICHAEL, sua auctoritate effecit, ut latum olim a tribunali Radomiensi decretum irritum redderetur. Quo nomine Prussiæ Ordines a. 1671, Ipsi gratias agebant, &, non ut vectigal illud, a quo per jura sua liberi & immunes essent, quasi redimere viderentur, sed ex mero erga Polonam Rempublicam amore, *subsidium caritativum*, per agrarias & *accisas* conferendum, decernebant, laudo declarantes, Tribunal Radomiense male sibi in civitates earumque cives jurisdictionem arrogasse. Cum etiam eodem tempore, vectigal Poloniæ finitimum, in Prussiæ oppidum, Friedlandiam, transferretur, id minime Ordines tolerabant, sed vectigalis exactori abitum mandabant, ac publice vindicatum iri minabantur, si cui ob negatum vectigal vis illata fuerit. AUGUSTO II. regnante, de vectigalibus Strasburgi & aliis locis, tum terra tum in fluminibus exactis, mota querela, quod Ordines a. 1713 & 1730 impulit, Palatinis aut Castellanis committere, ut vel milite contracto, vel excita Nobilitate, Prussorum a vectigalibus immunitatem vindicarent; cameras ad vectigalia exigenda institutas, aut instituendas, tollerent; nec ve-

 ctiga-

ctigalium præfectos eorumque ministros, in civitatibus Prussiæ morari paterentur; civibus vero & incolis securum & liberum commerciorum exercitium, terra & aqua procurarent & tuerentur. Hæc de immunitate a vectigalibus intra Prussiam sufficiant.

Vectigal maritimum in portu Gedanensi tentatum.

VLADISLAUS IV. in vectigalia maritima, ad Prussiæ oram, in portu Gedanensi, Pillaviensi & Memelensi exigenda, intendit animum, promulgata in comitiis a. 1637, de ordinandis vectigalibus maritimis constitutione, salvis tamen Nobilitatis & civitatum juribus, in quam Prussi non consenserunt, simul vectigalia illa juribus suis adversari demonstrarunt. Sequenti anno, de modo exigendi vectigalia maritima, consultatio in comitiis decreta est, in quam, qui ex nobilitate Prussica aderant, consentiebant, sed *incorporationis* & aliis privilegiis salvis, qua exceptione ipsi suum consensum tacite irritum declarabant, imo, qui ex palatinatu Pomeraniæ præsentes, antequam ex comitiis abirent, a suo consensu aperte recedebant, majores autem civitates constitutioni coram judicio, scripto contradicebant: interveniebant etiam alia, quibus effectum, ut vectigal ad portum Gedanensem exigi jam cœptum, desineret. Quando in Polonia & Litvania, aut vetera aucta, aut

nova

Vectigalia nova in Polonia & Litvania, ac de iis Prussorum querelæ.

nova instituta vectigalia, non omiserunt Prussi, suorum mercatorum causam suscipere, ac ad antiqua jura provocare: quod in mandatis Nuntiorum ad comitia sæpius repetitum legitur. Jam a. 1590 querebantur Ordines, mercatores per Regnum Poloniæ negotiationem exercentes, intra ipsos Regni fines, variis & gravibus vectigalibus vexari, idque contra jura Prussica fieri: idem annis sequentibus factum. Anno 1634 injungebatur Nuntiis, Regem orare, ut mercatores & reliqui incolæ Prussiæ, a novis vectigalibus, in primis a non ita pridem excogitatis *inductis* & *evectis*, immunes conservarentur, & ad nulla, præterquam quæ in antiquis & extremis Regni limitibus, pro more veteri, pendi solerent, ad mentem pactorum & privilegiorum adigerentur: & ut spatium, quod intercessit, silentio transmittamus, a. 1696 rogatum, ut civitatum merces, ex mente jurium, a vectigalibus intra Regnum, liberæ essent, eædemque civitates de mercibus in Regnum invectis, nullum vectigal, & de iis, quas extra Regni fines, in Hungariam, Moraviam, Silesiam eveherent, antiquum finitimum penderent. Memoranda tamen est querela, quam a. 1653 ad Regem Ordines detulerunt, scilicet, per nova intra Re-

 gnum

gnum vectigalia, libertatem commerciorum contra jura & privilegia, quam maxime impediri, terrasque Prussiæ in onerosis tantum, corpori Regni junctas, in iis vero, quæ commodum aliquod inferrent, separatas videri, numerumque vectigalium in dies crescere, cum tamen per privilegia, sola finitima exigenda essent. Hinc obsecrabant iidem Ordines Regem, novorum vectigalium exactionem, a mercibus in Prussiam euntibus, & inde redeuntibus, serio interdicere.

Ad Diebaviam & Fordanum vectigalia.

Præ aliis Diebaviense & Fordanense vectigal, Prussorum curam admodum & sæpe exercuit. Utrumque non procul Thorunio, trans Vistulam, in Poloniæ finibus, quorum illud tempore STEPHANI, hoc regnante SIGISMUNDO III. a. 1592 cœpit. De utroque frequentes querelæ & preces, ut Prussi & eorum merces immunes essent, in *historia Prussica* leguntur. Nec semper vanæ fuerunt preces, cum interdum publicanis ad Fordanum mandatum, nihil a Prussis eorumque mercibus exigere, ipsum etiam Fordanense vectigal, aliquoties modo sublatum, modo instauratum est, hocque cum auctoritate consilii magni Varsaviensis a. 1710 fieret, ægre id tulerunt Prussi, ut Nuntiis ad comitia anno 1712 committerent, omnem operam navare,

vare, ut vectigal hoc aboleatur; & in sequenti suo conventu a. 1713. fortiter contradixerunt, jura sua a publicanis, vi & armis tuituri, laudo eum in finem scripto, & a. 1730 repetito, quod paullo ante, cum mentio vectigalis Strasburgensis fieret, citavimus. Sed leniori via, quam sanguine & armis, Thorunenses & Gedanenses obtinuerunt, ut merces ipsorum, per Vistulam vectigali ad Fordanum immunes navigarent. (Pp)

§. 100.

Prussiæ Nobilitatem ad expeditionem extra provinciam suam non obligari.

Consultationes de bello, quarum Prussos participes esse diximus, ad tributa nos deduxerunt, quibus expositis, ita ad bellum redimus, ut de expeditione Nobilitatis generali, quæ interdum bello fervente, per universam Poloniam suscipi solebat, agamus. Fuit jam olim disputatum, an Nobiles Prussi ad tutandam Poloniam exciri possent, Prussis id negantibus, quoniam per vetustissimum privilegium Culmense, ad solam suæ provinciæ defensionem, intra Vistulam, Ossam & Drevenzam obstricti, aliisque expeditionibus exemti essent; ad quod CASIMIRI, & SIGISMUNDI I. temporibus, tum interregno post SIGISMUNDUM AUGUSTUM, provocatum esse, alibi memoravimus *. Decreta in comitiis a. 1616 generali Nobili-

Jura pro hac immunitate.

 tatis

tatis expeditione, coram Regni Ordinibus, Prussorum immunitatem Culmensis Episcopus contradictione tuitus est: & cum a. 1621, expeditio illa simul Prussis imperaretur, non tantum voce ab eodem Episcopo, sed etiam scriptis contradictum, ac frustra ad Prussos litteræ, ut vocantur, *restium* missæ sunt, cum illorum nemo in expeditioem proficisceretur: quorum absentiam Ordines libertate patriæ, & vetustissimis juribus ac privilegiis apud Regem excusabant, addentes: „in expeditionum immunitate, „per pacta cum Regno & reciprocam „majorum suorum sponsionem, sub prio„rum & præsentis Regis regimine se ad„huc conservatos esse; neque auditum, „sive sub Serenissimorum Regum Polo„niæ, sive sub Ordinis Crucigerorum „imperio, incolas Prussiæ unquam ex„tra ejus fines, nisi dato stipendio, in „bellum processisse &c.„ Quare Ipse Rex, pro Prussis eorum privilegia citavit, cum illis pœnam expeditionis non peractæ irrogari, Nuntii Poloni postularent **. Postea, quoties in comitiis generalis expeditio decreta est, Prussi ad eam obligari noluerunt, obtinueruntque, ut a. 1649 per constitutionem suis consvetudinibus relinquerentur ***, præter quas, recentiores constitutiones etiam jurium

jurium mentionem fecerunt. Exempla in *historia Prussica* passim allegavimus. Quod ad expeditionem intra Prussiæ limites, quam Culmense privilegium præcipit, eam quoties exigeret necessitas, Nobilitas detrectavit nunquam, approbavitque, excussa Crucigerorum dominatione, CASIMIRO Regi, cum constantiam tum fortitudinem. Posterioribus temporibus, quando bellum vel inferretur, vel immineret, Nobilitas non minus impigre, ad patriæ suæ tutelam confluxit. Ejusmodi autem expeditio in conventu generali decernitur, vel Rege monente, vel ultro, ac modus peragendæ describitur: interdum etiam Consiliariis committitur, ut si periculum aliquod ingruat, ipsi, communicato inter se consilio, expeditionem indicant. Tum vero quisque Palatinus sui palatinatus Nobilitatem ducit, illoque absente, Castellanus, ac universa Nobilitas loco constituto jungitur. Ex civitatibus, solum Thorunum, ob bona, quæ jure terrestri seu Nobilium habet, triginta duos, sub suo vexillo mittit equites. Juncta Nobilitas ultra Drevenzam non progreditur, & cum a. 1702. Varmiensis & Culmensis Episcopi cum Palatino Culmensi, fluvium illum transiisset, detrectabat Nobilitas, invitata quamvis, sequi, quæ cis flumen sub-

Expeditio intra Prussiæ fines & ante expeditionem Nobilitatis lustratio.

subsistens, intra paucos dies domum dilabebatur. Sequenti anno, in conventu Culmensis palatinatus particulari, unus ex Nobilibus asserere ausus, Prussos ad expeditionem ultra idem flumen obstrictos esse, tantam movit apud cæteros indignationem, ut etiam conventus ille rumperetur.

Lustrationes olim, quando nulla suscipienda esset expeditio.

Expeditionem, in singulis palatinatibus præcedit Nobilitatis lustratio, num equis & armis idoneis instructa sit, quæ olim quovis anno habita, etiamsi nulla suscipienda esset generalis expeditio, quem morem Ordines instaurare, a. 1699 conati sunt, nullo tamen successu:

(Qq)

Quæ intra Prussiam ultima adhuc expeditio.

neque post expeditionem generalem anni 1702, alia adhuc secuta est, & illa ipsa, hoste ne viso quidem, & lustrata tantum Pomeraniæ palatinatus Nobilitate, finiebatur.

* In norma regiminis Pruteni §. 45. 46.

** Histor. Pruss. V. 111. 149. 151. 154. 159. Doc. p. 102-105.

*** Constit. a. 1649. p. 14. tit. Pospolite,

§. 101.

Quando de pace agendum, Prussos in consilium adhiberi.

Cum de bello, quod addam, non habeam, ad pacem, qua bella finiuntur, progredior. Consulti frequenter Prussi a CASIMIRO, JOANNE ALBERTO, ALEXANDRO & SIGISMUNDO I. de pace cum Crucigeris componenda, firmanda, instauranda *. SIGISMUNDUS AUGUSTUS rationes exposuit,

cur cum Ordine Teutonico, qui ex Prussia pulsus, in Germania supererat, nondum transegisset.

Prussi inter Legatos de pace, & eos, qui pro Legatis mandata scribunt.

De bello Svecico, quod regnante SIGISMUNDO III. in Prussiæ visceribus grassabatur, non solum in conventibus, sed etiam in comitiis Regni, a Prussis actum, præpositusque est Culmensis Episcopus legationi caput, quæ cum pacem non posset, inducias in annos sex a. 1629 confecit, a. 1635 in viginti sex annos prorogatas: quod cum fieret, idem, qui antea Culmensis, jam Cracoviensis, Episcopus inter legatos primus erat, miserantque Gedanenses suos internuntios, qui attenti in ea, quæ fierent, per Legatos Polonos & exteros induciarum Conciliatores, providebant, ne quid in suæ civitatis universæque Prussiæ damnum constitueretur: designatis tamen antea ex Prussia Varmiensi & Culmensi Episcopis, Palatino Pomeraniæ & Culmensi Vexillifero, quos Rex consiliis de pace adhiberet. Induciis compositis, civitates majores cavebant, intra illas, ex Prussiæ portubus nulla hostilia in Sveciam tentatum iri. Ut vero inter inducias, de pace perpetua ageretur, a. 1646 cum legatis aliis, ex Prussia Palatinus Pomeraniæ, Castellanus Gedanensis & Ensifer de-

designabantur: ex quibus Ensifer unus illorum erat, quibus a. 1649 mandatum pro legatis perscribere injungebatur, & legatis ad pacem componendam a. 1651 Lubecam profecturis, Rex ex Prussia Capitaneum Pucensem *Zawadzcium* addebat, qui tamen ex itinere revocabatur. Cum a. 1652 pro iisdem legatis, novum scribendum esset mandatum, ex Prussiæ Consiliariis, Episcopum Culmensem & Castellanum Gedanensem, ac ex Nobilitate, Jo. Ignat. Bąkowscium, adhiberi placebat **. Inter Legatos, qui demum a. 1660, novo prius gesto bello, in monasterio Olivensi prope Gedanum, pacem inibant, Pomeraniæ Succamerarius, Gninscius, quem tamen pro uno ex suis, Prussi habere nolebant, quia non indigena, & ante paucos dies inter Consiliarios receptus, jurium provinciæ & eorum, quæ conducerent, haud satis gnarus esset. Quare in conventu die 1 Septembris a. 1661 habito, Nuntii dolebant, pacem illam sine Prussis compositam esse: neque placere poterat, quod antea de pacis conditionibus consulti non fuissent. Præcesserat a. 1657 cum Electore Brandenburgico, in Prussia Duce, pax Velaviensis, Prussis ob pertinationem inconsultis, Varmiensi Episcopo, ex duobus Legatis, qui composuerant,

Pax Olivensis.

Pacta Velaviensia & Brombergensia.

fuerant, primo. Secuta eodem anno pacta Brombergensia, ad quæ ex Prussis solum Gedanum accitum, cujus nomine, qui venerant, ingenue exposuerunt, quid provinciæ conduceret, licet transigeretur aliter, quod Prussi ægre tulerunt ***. Cum postea ex pactis Velaviensibus & Brombergensibus controversiæ orirentur, lecti sunt ad eas componendas, a. 1678 Episcopi Varmiensis & Culmensis, Palatinus Mariæburgensis, Castellanus Elbingensis, & tres ex Nobilitate; a. 1683 præter ambos Episcopos, Palatini Mariæburgensis & Pomeraniæ, Castellanus Culmensis, & Succamerarius Mariæburgensis; & a. 1690 Episcopus Varmiensis, Palatini Mariæburgensis & Pomeraniæ, Castellanus Culmensis, & quatuor ex equestri ordine: sed negotio hoc per totum illud tempus protelato, & Elbinga a. 1698 ab Electore occupata, novum pactum ineundum erat, de quo ne sine Prussis ageretur, Ordines, privilegium *incorporationis* citantes, per quod *omnes causæ notabiles, cum communi Consiliariorum spiritualium ac sæcularium, Nobilium & civitatum majorum, terminari, tractari, & definiri* debeant, Nuntiis ad comitia anno 1699 mandarunt: „ne cum Electore sine „Prussis de novo pacto agatur, sed ut „nume-

Controversiæ ex pactis illis ortæ.

„ numerus legatorum ex Prussia a. 1690 „ decretus, ex Consiliariis & Nobilibus „ augeatur, & in locum jam defuncti „ Palatini Mariæburgensis, præsens Pa- „ latinus sufficiatur „ : contigitque, ut in iisdem comitiis, inter eos, qui de recuperanda Elbinga consilia conferrent, ex Prussia Varmiensis Episcopus, Palatini omnes, Succamerarius Culmensis, & tres Equestris Ordinis essent. Cum postea de illo negotio cum Legatis Brandenburgicis ageretur, initio Episcopus Varmiensis, Palatinus Mariæburgensis & Capitaneus Borzechoviensis, in fine solus Episcopus Varmiensis præsens erat, qui solus etiam ex Prussis, Elbingam a Brandenburgicis recipiebat ****. Inter eos, qui a. 1726 ad componendas cum Serenissimo in Prussia Rege, controversias designati, ex Prussis Episcopi, Palatini, Elbingensis Castellanus & unus Equestris Ordinis fuerunt *****.

* De Nor. reg. Prut. §. 47.
** Hist. Pruss. VII. 48. 82. 94.
*** Hist. Pruss. VII. 185. 186. 253. 258.
**** Hist. Pruss. IX. 66. 76. 80-83.
***** Constit. a. 1726. p. 17. tit. Kommissya z Dworem Berlinskim.

§. 102.

Prussorum jus indige-

Inter Prussorum jura non est, quod sæpius temeratum, ac acrius defensum, cujus-

natus, unde repetendum & in quo consistat.

cujusque integritati magis prospectum, quam jus *indigenatus*, quod CASIMIRUS in privilegio *incorporationis* describit, promittendo: *Se omnes Prælatos, militares, nobiles, cives & incolas terrarum prædictarum*, (Prussiæ) *in jus, conditionem, & proprietatem Regni Poloniæ translatos & inviscerates, hac prærogativa prosecuturum, quod dignitates & officia hactenus illic consistentia, & in posterum constituenda; item castra & tenutas civitatum & locorum in terris prædictis, nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ, juxta observantiam aliarum terrarum Regni sui, collaturum esse.* Ita CASIMIRUS, qui alias Prussos æquo cum Polonis habet jure, in hoc eos Polonis præfert, quod in Prussia proprii indigenæ, ad *dignitates*, *officia*, *castra*, & *tenutas* admitti debeant. Per indigenas autem solos Prussos intelligi extra dubium est, quia quod de proprio indigena dicitur, ad *prærogativam* Prussorum refertur, a qua omnes extranei & *forenses*, hoc est, qui Prussi non sunt, arcentur. In hoc ergo consistit indigenatus jus, quod a Prussis maxime celebratur, quodque Poloni & Litvani etiam in se derivare conati sunt, ut dignitatum & bonorum Regiorum in Prussia consortes redderentur,

tur, Prussis contra demonstrantibus, esse indigenam, qui patre Prusso in Prussia natus sit; quamvis usus doceat, haberi indigenam etiam extra Prussiam natum, modo pater indigena fuerit. Cæterum vocabulum *indigena*, alibi fusius explicatum, ejusque interpretatio minus recta confutata est *.

* Differt. de norma regiminis Prut. §.51, 52, 53.

§. 103.

Integritati illius juris prospectum.

Ipsi Serenissimi Reges, cum in suis declarationibus, tum in juris illius confirmationibus, pariter solis Prussis asseruerunt, quæ de indigenis ex privilegio *incorporationis* modo memoravimus, & errorem suum, quem non inficiati, se correcturos promiserunt, quando Ordines questi, quod dignitates & bona Regia non indigenis, sed Polonis aut Litvanis contigerint. Præivit exemplo, dicti privilegii auctor, CASIMIRUS, qui cum castra aliquot Polonis, Bohemisque credidisset, fallus est, se non ex mente privilegii egisse, belli ratione id excusans, quo finito, se iis castra permissurum, quibus permitti privilegium exigeret, idque futurum, multi Regni proceres, adscriptis suis nominibus, appensisque sigillis, fidem suam interposuerunt: quod diploma inter *jura municipalia* terrarum Prussiæ locum obtinuit. SIGISMUNDUS I., qui Joannem Balinscium, Polonum, Castellanum Gedanensem creaverat, ad Ordinum expositionem, quod non indigena & linguæ germanicæ ignarus esset, declarabat: non fuisse mentem suam, Prussorum privilegiis derogare, neque se velle, ut collata Balinscio dignitas, quatenus privilegiis adversetur, terris Prussiæ officiat, aut ad similia in exemplum trahatur *. Idem SIGISMUNDUS I. in *constitutionibus* Terrarum Prussiæ, non tantum jussit, singulos Palatinos privilegii *incorporationis* exemplum habere, ut illud cuique petenti ostendi, & coram eo legi possit, sed simul promisit, se ex ejus sensu, tam *spirituales*, quam *sæculares* dignitates, *officia* & *capitaneatus*, solis & propriis terrarum Prussiæ indigenis collaturum esse. SIGISMUNDUS AUGUSTUS voluit, cum alia privilegia, tum hoc de indigenis servare, ac dignitates, *officia*, *castra*, & *tenutas* civitatum & locorum, nulli extraneo, sed proprio indigenæ conferre. Eandem sibi esse mentem, SIGISMUNDUS III. aliquoties declaravit, qui etiam a. 1605 Prussis suam auctoritatem obtulit, ut jus indigenatus in comitiis confirmaretur, & cum Regni Ordines, illud a. 1616. constitutione abrogare conarentur, non permisit **.

Regum confirmationes.

VLA-

Regni Conſtitutio.

VLADISLAUS IV. a. 1647 effecit, ut conſtitutione ſanciretur, quæcunque in Pruſſia vacua fuerint, ſecundum privilegium *incorporationis*, & cautiones Regias, ad privilegium illud ſe referentes largiri aliis, ſecutumque eodem anno diploma, quo idem Rex, Se & Succeſſores ſuos, ad jus indigenatus ſancte colendum obligavit ***.

Juris illius mentio in confirmatione jurium Regni generali.

JOANNES CASIMIRUS *in confirmatione jurium generali*, primus indigenatus fecit mentionem, ita ut cum cæteris Prusſiæ juribus, ſpeciatim jus indigenatus in omnibus ſe conſervaturum, & quæcunque vacua futura, ad mentem jurium & conſtitutionis anni 1647, indigenis terrarum Prusſiæ collaturum polliceretur: quod a ſingulis Regibus Succeſſoribus, in ſuis *confirmationibus jurium generalibus* repetitum eſt. Cum vero memoratus Rex, JOANNES CASIMIRUS, præter epiſcopatum Culmenſem, *capitaneatus* aliquot & *tenutas* Polonis contuliſſet, & Prusſi de eo anno 1654 quererentur, Rex, quod a ſe factum excuſans, non ſolum verbis declaravit, ſe jus indigenatus imminuere noluiſſe, ſed etiam litteris idem confirmavit, cavitque, ne id Ordinibus Prusſiæ noceret, aut ſequentibus temporibus exemplo eſſet; hoc addito: a Se & Succeſſoribus

ceſſoribus dignitates, tam eccleſiaſticas, quam ſæculares, *officia*, *caſtra*, & *tenutas* civitatum & locorum, per Pruſſiam conſiſtentium, non niſi veris & propriis Terrarum Pruſſiæ indigenis, bene meritis, ex conſtitutionum & jurium præſcripto datum iri ****. Nihilominus & poſtea JOANNES CASIMIRUS, dignitates & bona Regia non indigenis largitus eſt: Qui a. 1668 ad medelam ſe promtum obtulit, ſi modo eam in poteſtate ſua haberet, ac conſenſit, ut in futuris comitiis conſtitutio in eos ferretur, qui auſi fuiſſent obtinere, quod juribus terrarum Pruſſiæ adverſaretur *****. JOANNES III. nondum inauguratus, Pruſſis jura ſua litteris confirmans, indigenatus ſpeciatim mentionem fecit, majores & minores dignitates, officia & munia, *ſpiritualia* & *ſæcularia*, *capitaneatus* & *tenutas*, non niſi veris & legitimis indigenis, terrigenis, terrarum illarum *patriciis* bene meritis, collaturus. Secutum poſt inaugurationem alterum diploma, & anno 1682 tertium prioribus amplius ******. Nec minus indigenatus jus AUGUSTUS II. & AUGUSTUS III. ſuis litteris confirmarunt ******, qui etiam in *pactis* ſuis *conventis* ejus mentionem fecerunt, & quidem AUGUSTUS II. breviter,

Nec non in pactis conventis.

AUGUSTUS III. verbis pluribus: quod efficere, jam in electione JOANNIS CASIMIRI & sequentium Regum, Prussi frustra laboraverant *******.

* Vid. Jura municipalia Terr. Pruss.

** Hist. Pruss. II. 26. Doc. 11. IV. 323. 331. 368. V. 110. 111.

*** Constit. p. 36. tit. Ziem Pruskich vacantie. Hist. Pruss. VI. Doc. 156.

**** Hist. Pruss. VII. Doc. 108.

***** Hist. Pruss. VII. Doc. 332.

****** Hist. Pruss. VIII. 116. 131 214. Doc. 25. 31. IX. Doc. 24. Privil. Terr. pruss. a. 1746 edita p. 91. 93. 95. 106. 119.

******* Pacta conventa Augusti II. §. za honory. Augusti III. §. Providendo omnibus juribus. Add. commentar. noster ad P. C. Augusti III. p. 61.

§. 104.

Jus indigenatus simul Nobilibus & civibus servire.

Ut jus indigenatus omnibus indigenis commune erat, ita illa, quæ ex hoc jure derivantur, equestri juxta & civili ordini serviebant, quia CASIMIRUS juris illius auctor, in privilegio *incorporationis*, nobiles, cives & incolas eadem se prosecuturum *prærogativa* promisit, & statim inter Consiliarios, qui dignitate antecedebant omnes, nobiles & civitates recepit. Reges Successores, quando indigenatus & indigenarum fecerunt mentionem, generatim locuti, nullo inter nobiles & cives facto discrimine, obtinue-

tinueruntque cives civiumque filii, episcopatus, dignitates alias & bona regia, non sine nobilium invidia: qui a. 1647 civitatibus insciis, a VLADISLAO IV. per diploma §. proxime præcedenti citatum, indigenatus jus ita confirmari curarunt, ut illo equestris ordinis terrarum Prussiæ incolæ & indigenæ, fruerentur: cui in sequenti conventu generali, civitates coram Nobilitate contradicebant, ne juri suo diploma officeret, aut contra se allegaretur, caventes *. JOANNES etiam CASIMIRUS, in confirmatione ejusdem juris, silens de nobilibus, generatim veros & proprios terrarum Prussiæ indigenas nominavit. In duabus prioribus JOANNIS III. confirmationibus, indigenæ, terrigenæ terrarum & patricii bene meriti, in tertia autem confirmatione, indigenæ & terrigenæ, terrarum & civitatum Prussiæ leguntur, simulque ibidem testimonium perhibetur, privilegia de indigenatu, terris & civitatibus Prussiæ data esse. AUGUSTI II. confirmatio, indigenas & terrigenas, AUGUSTI III. indigenas memorat. Usu tamen jam receptum est, ut licet civitates in consilio Prussico, in hunc diem manserint, cives tamen dignitates & bona Regia non obtineant, nulla lege eos arcente. Cum ergo regnante

Quod cum sibi solis vindicare conati Nobiles, civitates contradixisse.

Qualis mentio indigenatus, in recentioribus Regum confirmationibus fiat.

Quid usu obtineat.

gnante JOANNE III. Mich. Hackius, Brombergæ patre cive natus, primum Coadjutor, deinde Abbas Olivensis evaderet, ac Nobilitas ipsi duo objiceret, tum quod non indigena, tum quod civis origine; non ferebant posterius civitates, ne filiis civium aditus ad dignitates præcluderetur, quibus cedebat Nobilitas, patiebaturque, ut, cum Nuntiis ad comitia a. 1683, abdicatio novi Coadjutoris committeretur, id salvis juribus civitatum & municipalium fieret: quæ exceptio anno 1685 repetita est **. Neque aliter in comitiis a. 1690 Nuntiis opera navanda erat, ut Abbatiæ, Olivensis & Pelplinensis, indigenis, nobilibus, non tamen recens creatis, obvenirent, quam salvis *civitatensium* juribus ***.

* Histor. Pruss. VII. 7. 8.

** Hist. Pruss. VIII. 199. Doc. 38.

*** Hist. Pruss. VIII. Doc. 61.

§. 105.

Episcopatus indigenis conferendos esse.

Asserit incorporationis privilegium solis indigenis, omnes dignitates & officia, cum quæ CASIMIRI tempore existebant, tum quæ in posterum instituenda essent: quare male olim colligebatur, posse episcopatus conferri extraneis, quia illorum in dicto privilegio sigillatim mentio non fieret *. Dum enim privilegium

legium de omnibus dignitatibus loquitur, episcopatus excipere non licet: præter quod, CASIMIRUS *Prælatorum* diserte meminit, quos una cum nobilibus & civibus, indigenatus *prærogativa* prosequitur, utque adeo non alii *Prælati*, quam qui indigenæ, episcopatus in Prussia obtinere debeant.

Quid speciatim de Varmiensi episcopatu pacto constitutum.

De Varmiensi episcopatu speciatim SIGISMUNDUS I. cum Episcopo Fabiano & Capitulo a. 1512 pactus est, ex Canonicis quatuor a Rege nominandos esse, sed non alios, quam qui sint veri terrarum Prussiæ indigenæ, ex quibus Capitulum unum in Episcopum eligat, nisi inter Canonicos, vel filius vel frater germanus Regis esset, tum enim licere Regi, & filium & fratrem, inter quatuor illos candidatos nominare, ac si filius vel frater terrarum Prussiæ indigena esset. Unde sequitur, non alios extraneos, quam Regis filios & germanos fratres, si fuerint antea Canonici Varmienses, episcopatum illum obtinere posse, idque non ex privilegio *incorporationis*, sed ex pacto posteriore, cum Episcopo & Capitulo, Prussis consentientibus, inito, ex quibus, præter Episcopum & duos Canonicos Varmienses, Palatinus Mariæburgensis, civitates Thorunensis & Gedanensis, pacto subscripserunt. Ex Regum filiis, SIGISMUN-

DI III. filius, JOANNES ALBERTUS, cum infra justam ætatem, erat enim annorum novem, neque Canonicus Varmiensis esset, episcopatum nactus est, & ante eum STEPHANI, non quidem frater, sed fratris filius, Andreas Batorius, inter Canonicos antea receptus, primum Coadjutor, postea Episcopus evasit. Ambo tamen in Prussia episcopatus, Varmiensis & Culmensis, quasi jure indigenatus exemti essent, plerumque non indigenis contigerunt, Prussis frustra querentibus contradicentibusque: quibus neque profuit, in confirmationibus Regum recentioribus, dignitates *spirituales* distincte nominari. Una superesse visa est medela, si non indigenæ creati Episcopi, indigenatu donarentur.

Episcopatus tamen plerumque non indigenis contingere.

* Histor. Pruss. IV. 315.

§. 106.

Abbates & Canonici sint indigenæ.

Post Episcopatus, ad dignitates ecclesiasticas Abbatiæ pertinent, quarum in Prussia duæ sunt, Olivensis & Pelplinensis, ut supra dictum est. A. 1556 Nobilitas inter publicas querelas referebat, quod Abbatiis Poloni præessent, & cum a. 1590 Abbatia Pelplinensis, Kretkovscio, Polono, destinata esset, Prussi causam Klinskii indigenæ & jam Coadjutoris, agebant, & cum neuter obtineret, Nic. Kostka, indigena, Abbas evasit. Quam ægre tulerint Ordines, Hackium, Brombergæ natum, Abbatiæ Olivensis, primum Coadjutorem, postea Abbatem creatum esse, §. 104. memoravimus. Neque *Canonicatuum* alia ratio est, expostulabantque cum utriusque episcopatus Capitulis a. 1600 Ordines, quod exteros ad Canonicatus admisissent, ac rogabant, ut in posterum solos Prussos reciperent. Idem novo Episcopo Varmiensi, Rudnicio, anno 1606 commendabatur, qui id promittens optabat, ut tanta Prussorum copia suppeteret, ne ad munia sacra Polonis opus esset, litteris tamen, quod voce receperat, confirmare detrectabat. Sed non soli Poloni, verum etiam Galli, Itali, aliique extranei, Canonicatus, præsertim Varmienses, obtinuerunt: quod a Rege MICHAELE in confirmatione jurium Capituli Varmiensis a. 1672, & a JOANNE III. in altera jurium Prussiæ confirmatione, ita circumscriptum est: ne ullus natione & origine extraneus, præterquam Regni ac Terrarum Prussiæ, aliarumque regionum Regno junctarum terrigena, ad ecclesiæ Varmiensis canonicatus, in mensibus juris patronatus & collationis S. Sedis Apostolicæ & Capitularium vacantes & vacaturos, admittatur *. Ita in adeundis canonicatibus

Quid de canonicatibus Varmiensibus, Reges Michael & Joannes III. præceperint.

Prussorum postulatio. bus Varmiensibus, qui in Polonia aliisque terris Poloniæ junctis nati, æquo cum Prussis jure censebantur, quod contra *incorporationis* privilegium, & perpetuam Prussorum mentem, qui etiam a. 1676 Nuntiis ad comitia mandarunt, cum Nuntio Apostolico agere, ut Canonicatus Varmienses, non nisi indigenis nobilibus terrarum Prussiæ, ex præscripto jurium, a Summo Pontifice conferantur: & a. 1699 constituerunt, ut Episcopi jurejurando obstringerentur, ad beneficia *spiritualia*, speciatim ad *prælaturas* & canonicatus, juri & dispositioni suæ subjectos, veros & legitimos harum terrarum nobiles & indigenas evehere: quod supra §. 28. memoravimus. De aliis dignitatibus ecclesiasticis non habeo, quod moneam, nisi quod usus doceat, easdem, ut canonicatus, promiscue indigenis & non indigenis contingere.

* Hist. Pruss. VIII. 131. Doc. 26.

§. 107.

Dignitates sæculares indigenis, qui simul possessiones habeant. Dignitates *sæculares*, non aliis, quam indigenis conferendas esse, id quidem plane extra dubium est, hoc tamen inter *ecclesiasticas* & *sæculares* discrimine, quod posteriorum candidati, in Prussia possessiones habere debeant, quæ ab iis, qui ecclesiasticis destinantur, non exiguntur.

guntur. Nulla quidem possessionum in privilegio *incorporationis* fit mentio, postea tamen obtinuit, ut illi pro veris indigenis haberentur, quibus in Prussia natis, ibidem possessiones essent, & jam a. 1530 SIGISMUNDO I. exponeretur, majores non alios semper & hactenus indigenas opinatos esse, nisi eos, qui in his terris nati & *possessionati* essent, nec in aliis terris, officia aut possessiones haberent: & STEPHANI tempore ad CASIMIRUM & SIGISMUNDUM I. provocatum est, quod eum indigenam existimari voluerint, qui in Prussia natus *possessionatusque* esset *. Hinc indigenarum *possessionatorum*, quibus dignitates conferendæ, in actis publicis frequens fit mentio. *beant, conferri debere.*

Idem de bonis Regiis intelligendum esse. Idem quod de dignitatibus modo dictum, de bonis Regiis repetendum, quæ in privilegio *incorporationis* castra & tenutæ civitatum & locorum, hodie *capitaneatus* & *tenutæ* appellantur: sancitumque a. 1678, ut si qui *capitaneatum* habeant, & propriis possessionibus in Prussia destituantur, illi intra spatium unius anni possessiones sibi parent, & si *possessionati* quidem, indigenæ autem non sint, *capitaneatus* ille pro vacuo haberi debeat. Quod a. 1685 ita repetitum, ut non solum Capitaneis, sed etiam Tenutariis, si indigenæ fuerint, & (Rr)

 nullas

nullas proprias hæreditarias possessiones habuerint, easdem emere & comparare præciperetur. Nec minus per Nuntios suos in comitiis a. 1676 efficere voluerunt, ut Capitanei, Vicecapitanei, Oeconomi & Viceœconomi, nobiles, indigenæ, *possessionati* essent, & si possessionibus destituerentur, easdem intra annum & sex hebdomades acquirerent, secus officium & beneficium amissuri. De *œconomiis*, jam a. 1668 & 1674 monitum, ut veris indigenis locarentur.

Quid de œconomiis postulatum.

* Histor. Pruss. I. Doc. 89. III. Doc. 65.

§. 108.

Jus indigenatus temeratum sæpe, quod Prussi fortiter tuiti sunt.

Tantum de dignitatibus & bonis Regiis, solis indigenis conferendis, quæ tamen Regum indulgentia, sæpe aliis, quam indigenis, obvenerunt, ut ab ipso CASIMIRO, usque ad præsentem ætatem, nullius Principis regnum sit, quod exemplis, iisque pluribus, destituatur: quæ ex actis publicis memorat *historia Prussica*, suis quæque annis; ex quibus simul patet, crebrius in bonis Regiis, quam dignitatibus conferendis, a privilegio indigenatus deflexum esse. Ordinum quidem vigilantia nunquam desiderata est, qui omni tempore, precibus, obtestationibus, contradictionibus, laudis publicis, modisque aliis, jus suum tuiti sunt, quam illorum constantiam, tantum

tantum abest, ut Reges ægre tulerint, ut potius probaverint, indigenatusque se in posterum rationem habituros, promiserint. Martini Cromeri, primum Coadjutoris post Episcopi Varmiensis, & Castellani Gedanensis Smogulecii, ad consilium nunquam admissorum, quod ambo non indigenæ, exempla §. 21. memoravimus. Erga alios exteros, Ordines quidem faciliores fuerunt, non tamen prius in Consilium receperunt, quam indigenatu donassent, quod modo citius, modo serius factum est. Neque semper pro indigenatu suo frustra laborarant Prussi, sed effecerunt, ut a. 1548 capitaneatus Mevensis Palatino Plocensi collatus, indigenæ cederet; SIGISMUNDUS III. Roggenhusanam œconomiam a Marschalco Regni Opalinscio, in Tylicium indigenam transferret; & supremus Regni Cancellarius, Ossolinscius, a. 1648. se Pucensi capitaneatu abdicaret *. A. 1647 decreverunt Ordines, ea, quæ a Rege in posterum alicui extraneo collata fuerint, pro vacuis habere, & in futuro conventu rationes inire, quibus ejusmodi extraneus ad pacatam possessionem minime admitti possit, aut debeat. Anno 1671 Prussiæ Thesaurario mandatum, omnes ac singulos capitaneatus, villas & tenutas, post decessum possesso-

Pro vacuis habenda, quæ non indigenis collata.

(Ss) *Quid propter*

bona Regia Thesaurario mandatum. possessorum recipere atque tenere, donec veris collata fuerint indigenis: quod 1680 & 1687 repetitum. In comitia post inaugurationem JOANNIS III. Prussi privilegia, quæ de indigenatu

(Tt) *Privilegia de indigenatu in comitia allata.* agunt, *authentica*, ex provinciæ suæ tabulario depromta, attulerunt, ut Regi eo fortius persvaderent, sancte illa colenda esse. Neque ob hoc jus, legationes

Legationes pro indigenatu. ad Reges obire detrectarunt, estque memorabilis a. 1548 ad SIGISMUNDUM I. suscepta, cujus memoria inter jura municipalia superest, quamque nos alibi exposuimus **. Omissis recentioris ætatis exemplis aliis, a. 1682 legatio eadem ex causa ad Regem JOANNEM III. peracta est, quæ novam juris indigenatus confirmationem §. 103 citatam, domum retulit.

* Hist. Pruss. I. 312. IV. 155. VII. 31.

** Hist. Pruss. I. 310.

§. 109.

Quomodo iis, qui indigenæ non sunt, indigenatus conferendus. Non solum nascuntur indigenæ, sed etiam nati exteri, possunt Ordinum consensu, in conventu generali, verbis indigenæ creari. Modus quo obtinendus indigenatus, a. 1666 constitutus est, ut, qui eundem ab Ordinibus in generali conventu petiturus, prius in conventibus particularibus se sistat, ibidemque

(Vv) omnium gratiam & commendationem sibi

sibi conciliet. Quod cum ab Episcopo Culmensi Opalinscio, in conventibus particularibus non factum, a. 1682 ab aliis dubitabatur, an ipsi indigenatus conferendus esset, ab aliis tamen excusabatur. Jo. Szembekii, Regni Procancellarii, meritis datum, quod a. 1712 inter indigenas reciperetur, cum antea Nobilitatem in conventibus particularibus non compellasset. Ordines, qui indigenatum largiuntur, interdum eundem plane negant, interdum in tempus magis opportunum rejiciunt, neque largiuntur, nisi contradicente nemine. *Omnium consensu opus est.*

Consensus, quo indigenatus confertur, vel voce vel litteris declaratur, & quidem scripto eam rem *laudo*, quod sub sigillo terrarum Prussiæ editur: estque omnium antiquissimum a. 1640 pro Jo. Wolffgango Baudisio, Electoris Saxoniæ præfecto militari præcipuo, seu Generali; huic proximum, sed multorum annorum intervallo, in gratiam Felicis Potocii a. 1677 exaratum. Per ejusmodi *laudum* novus indigena omnium jurium & immunitatum, quibus veri fruuntur indigenæ, consors redditur. Plures tamen voce, quam scripto indigenæ declarati, qua ex causa, non omnes, quorum patres aut majores indigenatum consecuti, id *laudo* aliquo probare possunt, *Conferri vel voce vel scripto.*

ſunt, quærebaturque in conventu anno 1728 ejusmodi *laudum* fruſtra, antequam Epiſcopus Culmenſis, Kretkovſcius, ad jusjurandum Conſiliariorum admitteretur, cujus pater Damianus, Caſtellanus Culmenſis, anno 1664 indigenatum verbis tantum obtinuiſſet. Non ergo ſolis *laudis* probari poteſt collatus indigenatus, quæ ſæpe deficiunt, ſed acta conventuum publica excutienda ſunt.

Rex Joannes III. Pruſſiæ indigena. Rex JOANNES III. ſe olim a Pruſſis inter indigenas receptum eſſe faſſus *, ac ut indigenatu progenies ſua frueretur, in duabus prioribus, cum cæterorum jurium, tum ſpeciatim indigenatus confirmationibus, commendavit.

Indigenatum interregni tempore non dari, eundemque ad ſobolem, non ad alios conſanguineos transmitti. Sed nullum de hoc indigenatu laudum, neque in actis publicis mentio reperitur. Id ſilentio non transmittendum, Ordines a. 1674 petentibus indigenatum ex ea ratione negaſſe, quod interregni tempore impertiri haud ſoleret **. Collatus indigenatus, non ad alios conſangvineos, quam ad ſobolem transmittitur, quod laudo a. 1668 cautum, & modo citato Procancellario Szembekio, adhuc cælibi, ita indigenatus impertitus, ut ſoli ejus perſonæ, non extendendo ad conſangvineos, ejusdem nominis domus Szembekianæ, conferri diceretur.

Quid novi in- A. 1669 ſancitum, ut novi indigenæ litteris

(Xx)

ris ſe obſtringerent, allaboraturos ſe, ut Rex ſcripto integritati indigenatus caveat, ſecus collatum indigenatum irritum fore: quod quidem a nonnullis eſt promiſſum, ſed a nemine effici potuit; quibus nihilominus indigenatus relictus eſt. *digenæ promittant.* Primus, qui promiſit, eſt Simon Rudnicius, Varmienſis Epiſcopus, cum a. 1607 in numerum indigenarum reciperetur ***. Datur indigenatus ab Ordinibus, modo ad commendationem Regis, modo ſine ejus commendatione, neque alibi, quam in generali conventu.

Indigenatus in comitiis fruſtra collati exemplum. Quare cum in comitiis Reg. , anno 1690 Reginæ frater, Marchio Arquyanus, Poloniæ, Litvaniæ & terrarum Pruſſiæ indigena, per conſtitutionem declararetur, non ideo Pruſſiæ indigena evaſit, quod etiam Regina non ignorabat, Pruſſos poſt comitia, ut fratrem in ſuo conventu indigenatu donarent, rogans: quod primum in aliud tempus rejectum, poſtea oblivioni datum eſt ****.

* Hiſt. Pruſſ. VIII. 130.

** Hiſt. Pruſſ. VIII. 119.

*** Vid. ſupra §. 22.

**** Conſtit. a. 1690. p. 16. tit. Indigenat. Hiſt. Pruſſ. VIII. 301. 304.

§. 110.

Nobilibus ex- Ne autem extranei cum indigenis confunderentur, ſi bona nobilium, ſive emtio-

teris bona terrestria acquirere haud licet. emtionis, sive pignoris jure possiderent, voluerunt a. 1600 Prussi, ut per constitutionem Regni extraneis interdiceretur, ejusmodi bona emere aut pignerari, utque emtis & pigneratis intra triennium cederent, secus decretum tribunalis subirent. Secuta a. 1601 constitutio, quæ extraneos, tam nobiles, quam plebejos, bona nobilium in Regno, Prussia & Litvania emere, bonorum emtorum jactura, vetat, eandemque pœnam extraneis irrogat, qui bona jam possident, nisi intra triennium illis cesserint. Ne tamen quod de plebeis dictum, civitatibus Prussiæ officeret, subjungit eadem constitutio: „ non derogando constitu„ tionibus terrarum Prussiæ & juribus „ civitatum „ *. A. 1730 laudo sancitum, *Jus civitatum civiumque indigenarum.* ne nobili extraneo liceat, bona terrestria, emtione aut pignore acquirere, aut summas bonis inscriptas sibi vindicare, sub amissione eorundem bonorum, & si jure in eum agatur, multa duorum *Nobiles indigenas posse etiam in civitatibus sibi parare bona.* millium marcarum: addito, salvis per omnia civitatum juribus. Civitates enim æquo cum nobilibus indigenis, in hoc censentur jure, ut earum cives in Prussia bona nobilium possidere queant, quod antiquissimum ipsarum jus, constitutionibus Terrarum Prussiæ a. 1538, ita firmatum est, „ ut deinceps liberum sit, „ civibus

„ civibus bona terrestria, & nobilibus „ civilia bona emere, ut tamen ad paria „ onera utrinque ferenda sint oblegati, „ cives ratione bonorum terrestrium ad „ omnia Nobilitatis, nobiles ratione ci„ vilium bonorum, ad omnia civilia one„ ra „ **. Licuit ergo uti antea, ita non mi- *Civitatum civiumque jus possidendi bona terrestria assertum.* nus in posterum, civibus eorumque filiis, bona nobilium acquirere & possidere. Quare cum Nuntiis a. 1600 mandaretur, ut extranei in comitiis per constitutionem bonis nobilium arcerentur, id terrarum civitatumque Prussiæ juribus salvis, fieri debebat. Neque aliter in comitiis a. 1601 contra extraneos, tam nobiles, quam plebejos, lata lex est, quam non derogando civitatum Prussiæ juribus, ut paullo ante dictum: quorum jurium pariter ratio haberi debebat, Prussis a. 1603 postulantibus, ut lege illa extranei & plebeji, qui jam bona terrestria possiderent, tenerentur ***. In comitiis a. 1611. scripta in Nuntiorum conclavi constitutio, qua generatim omnibus & Regni & Terrarum Prussiæ civitatibus earumque incolis, bona nobilium emere, sub eorum amissione interdicebatur, qua in Senatu recitata, Regni Cancellarius Regis nomine monebat, constitutionem apertis & perspicuis civitatum Prussiæ privilegiis adversari, quo-

rum non minor, ac jurium Nobilitatis ratio habenda esset. Quo effectum, ut constitutioni adjiceretur, *salvis privilegiis civitatum Cracoviensis & Prutenicarum*, quarum civibus, sed non ipsis civitatibus, bona nobilium emere liceret. Quæ exceptio civitatibus adeo displicebat, ut illi publice, coram judicio castrensi Junivladislaviensi contradicerent ****. Regnante VLADISLAO IV. aliquoties tentatum, ut cives veteri hoc & perpetuo jure exuerentur, voluitque Nobilitas, ut quod in citatis constitutionibus Prussiæ, de nobilium & civium mutuo terrestria & civilia bona possidendi jure præcipitur, abrogaretur, sed minus successerunt conatus, civitatibus suum civiumque suorum jus fortiter tuentibus, neque Rege, ut imminueretur, permittente. Quare in præsentem usque diem, cives civiumque filii ad bona nobilium admittuntur: quod illorum jus novissime, a. 1725. decreto judicii assessorialis assertum est *****: neque civitates arceri possunt, si ipsæ plura ejusmodi bona sibi parare vellent, qualia jam possident. Oportet tamen civem in aliqua Prussiæ civitate esse natum, nam si advena, civium numero primus adscriptus fuerit, tanquam non indigena, merito bonis *terrestribus* abstinet. Quod ad nobiles, sæpe

sæpe etiam non indigenæ, bona nobilium acquirunt, qui tamen in civitatibus ad civilia bona non admittuntur, nisi per ignorantiam, aut ex rationibus privatis.

* Hist. Pruss. IV. Doc. 160. Constit. a. 1601. p. 743. tit. Cudzoziemcy.

** Constit. terr. Pruss. §. civibus bona terrestria.

*** Hist. Pruss. IV. Doc. p. 160. 169.

**** Hist. Pruss. V. 49. 50. Const. a. 1611. p. 14. tit. Miasta.

***** Hist. Pruss. IX. 342.

§. III.

Jus monetam cudendi, quod olim Rex & majores civitates, postea civitates solæ exercuerunt.

Habuit Prussia sub Crucigeris suam monetam, quam cudi curabat illius Ordinis Magister. Recepta in ditionem Regis Poloniæ, obtinuit per *incorporationis* privilegium, „ut dum bellum cum „Crucigeris gereretur, suis sumtibus „Thoruni, Gedani, Elbingæ, Regi„monti, pecuniam Regis imaginem ti„tulumque præferentem cuderet, quæ „pace secuta, tantum Thoruni & Geda„ni, Regis impensis fabricari deberet, ne „tamen pondere & valore interno, quem „*granum* seu *ligam* vocant artis periti, „minueretur„. Bello adhuc fervente, civitatibus majoribus, Thoruno, Elbingæ & Gedano, jus auream & argenteam monetam cudendi concessum est, quod ex illo tempore exercuerunt, interdum

etiam Rege vetante, ut ideo SIGISMUNDUS I. Gedanensibus præciperet, ut in nummis contra mandatum cusis, sua imagine abstinerent *. Præter officinas monetales, quas habebant dictarum civitatum singulæ, erat Regi sua Thoruni, cui SIGISMUNDUS I. Jodocum Ludovicum Decium, notum inter historicos Poloniæ nomen, præfecerat, & quæ eodem regnante Rege desiisse videtur, quia inter nummos, a Regibus in Prussia cusos, non reperti, qui ætatem SIGISMUNDI I. excederent. Erat autem pecunia Prussica a Polona, pondere & interno valore diversa, in qua, si quid mutandum, id post maturam in conventibus Prussorum deliberationem fiebat, cum res monetalis in præcipuis, & quidem merito, haberetur, de qua sine Ordinibus nihil constitui posset. A. 1528 post longam consultationem, in æquationem Prussicæ & Polonæ monetæ consenserunt **, civitatibus majoribus admodum renitentibus, quæ deteriorem in dies fore pecuniam prævidebant. Quid si prævidissent, venturum aliquando tempus, quo supra septuaginta annos a cudendis nummis cessetur, posteris ad jacturam commerciorum & facultatum suarum ruinam remissis & torpentibus?

Moneta Prussica a Polona diversa, deinde utraque æquata.

* Hist. Pruss. I. 205. 209. 210. Doc. 117 &c.

** Hist. Pruss. I. Doc. 54.

§. 112.

§. 112.

Æquatione Polonæ & Prussicæ pecuniæ peracta, inter Regni & Prussiæ Ordines consilia communicata, quoties novi quid in re monetali constituendum esset, accitæque præsertim majores civitates, & ut accirentur, etiam atque etiam a Prussis postulatum, quando seorsum de ea colloquia, *commissiones* vulgo vocantur, habenda, quod ipsæ ob commercia cum exteris, ante alios intelligebant, quid conduceret: cujus rei exempla in historia Prussica, sub annis 1601. 1604. 1616. 1631. 1632. 1636. 1638. 1645. 1647. 1650. 1659. 1667. 1668. 1676. 1680. 1683. 1685. 1689. 1699 &c. memorantur. Si quid ergo de moneta sine Prussorum consensu decerneretur, hi obstringi nolebant, sed cum verbis, tum scripto, dissensionem declarabant. Ex hac causa, constitutioni monetali a. 1654, Nuntii ex Prussia in comitiis voce, & post comitia, coram Magistratu civitatis Rhedensis, scripto contradixerunt, secutumque in proximo conventu *laudum*, quo Ordines confirmabant, se non passuros, ut pecunia ad normam novæ constitutionis cudenda, in Prussia recipiatur, aut in eam importetur. In comitiis a. 1658 placuit, sine Nuntiorum ex Prussia consensu, pecuniam

Consultationes de moneta adhibitis Prussis, præsertim civitatibus Prussiæ majoribus.

Non obligari Prussos, si quid in re monetali sine ipsorum consensu decernatur.

 cuniam (Yy)

cuniam cudi, ex qua præſens & ſpecioſum Regni theſauro oſtentabatur lucrum, revera ingens, in publicos & privatorum reditus, derivabatur damnum, illo, quod per bellum Svecicum illatum, gravius: quare in conventu poſtcomitiali contradicebant Ordines, ac ejusmodi pecuniam, ſi cuſa fuerit, in Pruſſiam admitti nolebant. Nec minus a. 1660 ſolidi æri, aliique viliores nummi, a provincia hac arcebantur, & *Orthones*, ſi qui eos recipere vellent, ad ſedecim, *ſexgroſſales*, ad quinque groſſos redigebantur; a. 1666 ærei ſolidi & floreni *Tymphiani*, duobus *laudis* vetabantur, & a. 1669 Boratinis *Orthonibus* & *Tymphianis* florenis quindecim, & *ſexgroſſalibus* quinque groſſorum, *trigroſſalibus* & minoribus nummis, juſtum pretium conſtitutum eſt *. Sic ſolidi ærei a Pruſſia plane ſummoti, ſed *ſexgroſſales* ſex, *trigroſſales* tribus, Boratini Orthones & Tymphiani floreni, octodecim groſſis, uſu valuerunt. Redactis per laudum ad quindecim groſſos, ſeu dimidium florenum, *Tymphianis* florenis, effectum eſt, ut dimidius florenus Pruſſicus in Polonia haberetur pro integro: qui modus computandi, in hunc diem manet, ſolentque florenis Pruſſicis, ne cum Polonis confundantur, *bonæ monetæ* vocabula addi. Conceſſa a. 1678 Tito Livio Boratino, noto illis temporibus officinarum monetalium in Polonia conductori, argenteos nummos ad normam a. 1677 decretam, cudendi facultate, Pruſſi a. 1679 per laudum edicebant, niſi pecunia juſto pondere & valore, qualis anno 1658 placuit, & a. 1677 repetitus, cuſa fuerit, eandem ad uſum haud admiſſum iri.

Pecunia Polona in Pruſſia tum prohibita, tum infra ſuum pretium redacta. (Zz)

Florenorum bonæ monetæ origo.

Ne infra juſtum receptumque valorem pecunia cudatur.

* Hiſt. Pruſſ. VIII. 8. Doc. 15.

§. 113.

Cum vero nummi ex officinis Poloniæ, infra juſtum valorem prodirent, ac ex vicinis regionibus, in primis Sileſia, viliores importarentur, adverſus publicum hoc in dies invaleſcens malum, præſens remedium Pruſſis viſum, ſi clauſis in Regno ejusque provinciis officinis monetalibus, in comitiis deſignarentur, qui adhibitis Pruſſiæ civitatibus majoribus, modos inirent, quibus nullo pro Regni theſauro lucro, melior pecunia cuderetur, quosque omnes Ordines ſuo conſenſu approbarent. Quod ut fieret, Pruſſi & Regem per reſponſum Legato ejus, in conventu Mariæburgenſi, menſe Januario a. 1685 datum, orabant, & ſuis Nuntiis in ejusdem anni comitiis curare injungebant. Contigit etiam, ut conſtitutione, omnes officinæ monetales ad futura

Ex qua cauſa officinæ monetales clauſæ ſint.

Colloquium de meliore moneta cum vicinis instituendum.

tura comitia usque, clauderentur, ſimul præter Theſaurarios, aliquot Senatores & equeſtris ordinis, interque eos quidam ex Pruſſis nominarentur, qui Duce Curlandiæ & civitatibus Pruſſiæ majoribus adhibitis, Poſnaniæ, menſe Septembri, cum Cæſaris & Electoris Brandenburgici Legatis, de pecuniæ interno valore conſultarent, utque de quo inter ſe conventuri, ſub rigore & pœnis in violatores pactorum & pacis publicæ ſancitis, ab omnibus obſervaretur *.

Quid de æquanda cum exteris moneta, Pruſſi ſenſerint.

Diſplicebat Pruſſis illa cum Cæſaris & Electoris Brandenburgici, qua Electoris, monetæ æquatio, nam ut Dux in Pruſſia, per pacta & uſum, non aliam cudebat Elector pecuniam, quam quæ pondere & valore interno Polonæ par erat, ac ſuis, qui ad conventum monetalem Poſnaniam profecturi, mandabant, emendationem monetæ, non ex aliqua cum exteris æquatione, ſed ex ordinatione a. 1650 petere, & ſi ad normam æquationis, nova pecunia cudi vellet, ſollemnem interponere *manifeſtationem*, quod Pruſſia obligari ſe ejusmodi ordinatione non paſſura, aut ullam pecuniam in ſuum commerciorumque damnum, ex æquatione ortam, admiſſura & receptura ſit **. Conventu illo monetali ſine ullo fructu habito, ac ter fruſtra prorogato, totum nego-

negotium ad comitia a. 1688 remiſſum, quibus ruptis, ex Senatus conſilio novus conventus Poſnaniæ, die 31. Maji dicti anni habendus erat, cui Pruſſi, metuentes, ne inde in ſuam provinciam plura redundarent incommoda & ultima commerciorum acceleraretur ruina, manifeſtatione occurrebant, ne, ſi conventus ille celebraretur, & in illo aliqua, non jure, ſed facto, conſtituerentur, ea omnia terras & civitates Pruſſiæ ulla ratione obligarent, aut illis nocere poſſent. (Aaa)

Irritum ergo pro moneta meliore evaſit votum, natumque contra hoc incommodum, ut clauſis ab anno 1685 in Polonia, Litvania & Pruſſia noſtra officinis monetalibus, in altera vero Pruſſia non ceſſantibus, domeſtici nummi ſenſim minus frequentes, jam plane exulent, hodieque inter rariores in nummophylaciis, ſeu muſæis, ſerventer, ac ſola externa pecunia in uſu ſit.

Clauſas adhuc manere officinas, licet aperiri debuerint.

Quantum inde in commercium, ac publicos privatorumque reditus damnum, facile ex eo colligi poteſt, quod cum nummus aureus, vulgo ducatus, antequam clauderentur officinæ, paucis groſſis ſupra florenos ſeptem æſtimaretur, in præſens nummis aliunde importatis, jam florenos novem pretio ſuo excedat. In pactis quidem conventis AUGUSTI II. ſanci-

tum,

tum, ut officinis Ordinum consilio apertis, nummi ad ligam Imperii Germanici, & vicinorum Principum cuderentur; & in consilio magno Grodnensi anno 1705, consensu omnium Ordinum placuit, ad cudendos tymphones, sextarios & solidos, officinam monetalem recludere, & Thesaurariis Regni & Litvaniæ serio injunctum, diligenter incumbere, ut nova moneta in valore & pondere vicinæ sit æqualis, quo in adsitis regionibus, par cum vicina habeat pretium ***. Non tamen ideo officinæ apertæ sunt, sed in pactis conventis AUGUSTI III. idem, quod in AUGUSTI II. constitutum, repeti debebat, idque pariter sine successu, comitiis omnibus, præter una, irritis. In Prussia tamen nostra, ubi solæ civitates majores rem monetalem exercuerunt, Gedanum a. 1698 nummos aureos exiguo tamen numero, ut habeantur in rarissimis, aliis annis solidos, majore copia, & nuper grossos triplices cudit, longe minore, tamen numero, quam quotidianus usus exigit, quorum penuriæ ut subveniatur, iterum eos cudi & quidem copia majore, decretum est.

* Constit. a. 1685. p. 8. tit. Zawarcie. p. 15. tit. Koekwacya monety.

** Hist. Pruss. VIII. 254. 255. Doc. 52. 53.

*** Zalusc. Epist. T. III. p. 755. 758.

§. 114.

§. 114.

Pertractatis juribus publicis, aliquid de legibus, quibus privati utuntur, addendum est. Crucigeri, cum in Prussiam venissent, leges ex Germania, ab urbe Magdeburgo Magdeburgenses dictas, attulerant, quæ in nonnullis mutatæ, & novis auctæ, nomen mutarunt, ut a Prussiæ civitate Culma, jus Culmense vocarentur. Non tamen omnibus, qui Ordini Teutonico parebant, jus Culmense commune erat, cum quædam civitates, ut Elbinga, Braunsberga, Frauenburgum & aliæ, Lubecensi uterentur, & Pomerellia, quæ post Prussiam in Ordinis illius ditionem venit, Polonicum retineret, ubi simul Culmense inducebatur, aut ultro recipiebatur. Meminit CASIMIRUS in privilegio *incorporationis* jurium Magdeburgensis & Culmensis, Polonicalis hæreditarii & Prutenici, quorum usum ita confirmat, ut cuivis licitum sit, ex uno jure in aliud, sine tamen aliorum damno, concedere: anno autem 1476, idem Rex ad Prussorum preces, sublatis cæteris, unum jus Culmense superesse voluit, quo causæ omnes judicarentur, Lubecensis nulla facta mentione, quod tamen servabant civitates, quæ ejus auctoritatem secutæ fuerant. Quoniam vero in

De legibus privatorum, jure Culmensi, Lubecensi, Polonico.

jure

Juris Culmensis correctiones variæ, quarum nulla ab Ordinibus approbata, ut Regi exhiberi potuerit.

jure Culmenſi multa erant vocabula obſoleta, & plures leges antiquatæ, contra quæ recentiore tempore latæ deſiderabantur, nec non ipſa juris exempla, quia tantum manu ſcripta, rariora, ſæculo decimo ſexto neceſſe viſum, Regis conſenſu & Ordinum decreto, jus Culmenſe, per viros eruditos, legum & conſvetudinum gnaros, retractare, ac uſui accommodare, &, cum ab Ordinibus in conventu generali approbatum fuerit, Regi exhibere, ut typis expreſſum vulgetur. Secutæ conſultationes frequentes, & aliis poſt alios mandatum, ut emendando juri Culmenſi operam adhiberent, emendatumque cum Ordinibus communicarent *. Natæ inde correctiones variæ, ut Heilsbergenſis, ab Heilsberga oppido, ubi facta eſt, Neumarcenſis ex eadem ratione a Neumarco, ſeu Novoforo, & Heſiana a Mariæburgenſi Præconſule, Gregorio Heeſio, appellata, qui cum Henr. Lemkio, Syndico Gedanenſi, quibus, quod ambo Doctores jurium erant, ab Ordinibus labor ille injunctus, opus orſus, mortuo ante finem Lemkio, ſolus abſolvit. Ex his correctionibus nulla ab Ordinibus approbata, ut ad Regem deferri potuerit, Heilsbergenſis tamen, in uſum Varmienſis epiſcopatus, typis expreſſa Braunsbergæ a. 1711. prodiit. Ex reliquis duabus, Neumarcenſis latine verſa, cauſis civitatum Pruſſiæ in judiciis aulicis ſervit, eademque polonice bis prodiit, in uſum eorum, quibus in Pruſſia ſermo polonus, familiaris & patrius evaſit. Jus Culmenſe, quod correctum, germanice a. 1745 Gedani lucem vidit, privatæ eruditorum induſtriæ debetur. Quod ad vetus jus Culmenſe attinet, quale fuit, antequam retractaretur, illud Thoruni a. 1584 editum eſt.

Noviſſima juris Culmenſis correcti editio.

JusCulmenſe vetus.

* Hiſtor. Pruſſ. T. I - IV. Conf. Hiſtor. juris Culmenſis, juri Culmenſi Gedani a. 1745 edito, præmiſſa.

§. 115.

De jure Nobilitatis terreſtri.

Jus illud Culmenſe, Nobilitati & civitatibus olim commune erat, protelata & non omnibus probata juris hujus retractatio, Nobilitatem movit, ut rejecto Culmenſi, novum jus, quodque ſibi eſſet proprium, expeteret. Poſt aliquot deliberationes, Niewieczinscius ac Heidenſteinius, ambo nobiles Pruſſi, duo juris capita, de hæreditatibus & actionibus, vulgo *proceſſu*, ſinguli compoſuerunt, ac Heidenſteinii labore probato, exhibitum Regi novum jus in comitiis a. 1598, quod conſtitutione confirmatum eſt *, ſalva Pruſſis corrigendi & addendi facultate, & ſalva tunc nova in comitiis

tiis confirmatione. Nec minus Rex ſuis litteris, quæ in limine juris *terreſtris* leguntur, eodem anno jus illud confirmavit, ſervans Nobilitati poteſtatem, jura ejusmodi ad praxin duntaxat judicialem pertinentia, modo id omnium arbitrio & Regis conſenſu fiat, corrigendi, emendandi, emendatis addendi, vel etiam immutandi, nulla confirmationis comitialis mentione facta. A. 1599 Nobilitas jure ſuo finem impoſuit, quod in titulos ſeptem: de ſucceſſionibus; donationibus & teſtamentis; tutelis; præſcriptionibus; Magiſtratibus & judiciis; proceſſu in cauſis civilibus; & finibus regundis diviſum, eodem anno Thoruni ** titulo: *jus terreſtre Nobilitatis Pruſſiæ correctum*, prodiit, ac aliquoties ultimumque Gedani 1726 repetitum eſt.

* Vol. Conſt. p. 701. tit. Prawa Pruſkiego Korrektura.

** Hiſt. Pruſſ. IV. 251. 262. 302.

§. 116.

Judicia privatorum.

Jure hoc terreſtri Nobilitas, Culmenſi cives in judiciis agunt, ſuntque alia Nobilium, alia civium judicia. Illorum, vel caſtrenſia vel terreſtria; quæ jus terreſtre titulo V. deſcribit. Cives in ſuis civitatibus forum habent, quosad caſtrenſia vel terreſtria judicia evocare non licet. A ſuis judiciis Nobilitas ad tribunal Regni

Provocatio Nobilitatis ad Regni tribunal, a cujus jurisdictione civitates immunes ſunt, & judicium aſſeſſoriale appellant.

Regni Petricoviam provocat, poſtquam ſe ejus auctoritati a. 1585 ſubmiſit, ex civitatibus manet, ut olim, ad judicium Regium *aſſeſſoriale* provocatio, quia civitates tribunalis Poloni jurisdictionem nunquam receperunt, verum in hoc ſe a Nobilitate diſſentire, Regi STEPHANO declararunt, ſuamque contradictionem, in conventu ordinario die 4. Octob. citati anni habito, ſub ſigillo terrarum Pruſſiæ publicari curarunt, ut conſtaret omnibus, ſe in tribunal, *neque poſſe, neque velle conſentire, temporibus perpetuis*, ac cavere voluiſſe, ne *novitas* illa, *terris ac civitatibus, in ſuis juribus, privilegiis, immunitatibus ac conſvetudinibus, præſentibus & futuris temporibus noxia ſit* *. Quando ergo civitates, vel earum cives & incolæ ad tribunal Regni citantur, non valet citatio, ac Regis auctoritas adverſus tribunal ſubvenit, ſimul citans ad judicium Regium aſſeſſoriale citatur, ut cauſam dicat. Olim, lato a judicio *aſſeſſoriali* decreto, civitates ſæpe judicium *relationum* appellare ſolebant, hocque vetus illarum jus, ut integrum maneret, Pruſſi poſtularunt ſæpius, & JOANNES III. a. 1696 novo diplomate firmavit. Sed hodie ejusmodi provocationes in uſu eſſe deſierunt, niſi interdum Cancellarii

Provocatio ab aſſeſſoriali ad relationum judicium.

(Bbb) (Ccc)

cauſas

causas ad relationum judicium ultro remittant **. Cæterum, quod de provocationibus ex civitatibus ad judicium assessoriale dictum, de causis civilibus intelligendum, criminales in civitatibus, a judicio, ubi forum habent, sine provocatione judicantur.

Causæ criminales in civitatibus.

* Hist. Pruss. III. 461. 452. 453. 464. Doc. 159-162. Immunitas civitatum Prussiæ a jurisdict. judic. tribunal. p. 2. 3.

** Jus publ. Regni Poloni lib. IV. c. 13. §. 9.

§. 117.

Judices extraordinarii seu Commissarii, quando dandi.

Interdum a Rege dantur judices extraordinarii, Commissarii vulgo, qui vel coram in causam inquirant, ac ad ordinarium judicem referant, vel controversiam dirimant, vel sententiam ordinarii judicis exequantur. De illis in constitutionibus terrarum Prussiæ sancitum: „ne in causis ad judicium *terrestre* pertinentibus, aut in eo jam pendentibus, „nisi per appellationem ordinariam a „sententia definitiva, seu interlocutoria „ad judicium Regium devolutæ fuerint, „a Rege mittantur, exceptis controver„siis de limitibus bonorum Regiorum, „& hæreditate fratrum & proximo„rum„ *. Ideo non promiscue ejusmodi judices extraordinarii designandi, sed solum in iis causis, quarum in citatis constitutionibus mentio fit. Quando ergo

go præter has in aliis designati, contra jura sua designatos esse, Prussi questi sunt, mandaruntque suis Nuntiis in comitia a. 1669 & 1674, curare ne in posterum contra jura & privilegia *commissiones* decernantur, & antea decretæ pro nullis habeantur. Quare de publicis juribus & privilegiis controversiæ, per judices extraordinarios dirimi nequeunt, sed eædem solius Regis cognitioni servantur, ad quem etiam provocare licet, si adversus jura & privilegia a judicibus illis judicatum fuerit **. In consilio magno Varsaviensi a. 1710, absentibus Prussis, in civitates Thorunum & Gedanum *commissiones* placuerunt, quibus non solum a civitatibus majoribus, sequenti anno *manifestatione* contradictum est, sed etiam Prussiæ Ordines exegerunt, ut in comitiis a. 1712 irritæ declararentur, & in responso ad legationem Regiam, in conventu Mariæburgensi a. 1713. commissiones illas noxias, seu *præjudiciosas* appellantes, ne peragerentur, orarunt: „confisi, id se a Rege, tanquam supre„mo jurium & privilegiorum vindice, „eo facilius impetraturos, quo magis „preces suæ, juribus & privilegiis pro„vinciæ *cardinalibus* consentaneæ es„sent„ ***. Alias postularunt Prussi, ut in

Commissioner haud legitimæ, declarentur irritæ.

Commissarii

P

Sint indigenæ. in cauſis legitimis Commiſſarii, ſi non omnes, plerique tamen indigenæ esſent; id quod mandata Nuntiorum in comitia a. 1652. 1654. 1669. 1674. probant: promiſitque Rex JOANNES CASIMIRUS a. 1668, ad *commiſſiones ſecundum jura formandas*, indigenas deſignatum iri.

* Conſtit. terr. Pruſſ. §. Ut autem temerariæ lites.

** Hiſt. Pruſſ. V. 119.

*** Hiſt. Pruſſ. IX. 250. 266. Doc. 40. 51.

§. 118.

Jus diſſidentium in exercenda religione. Reliquum eſt, ut jus diſſidentium, quo in exercenda Religione ſua utuntur, exponamus. Cum diſſidentium nomen, a. 1573 religionis vocabulum evaderet, omnes, qui de religione Chriſtiana inter ſe diſſidebant, ſimulque ipſi Romani Catholici, diſſidentes vocabantur, ut dictum alibi. *. Poſtea factum, ut illis ſolis, qui cum Romanis Catholicis de religione non convenirent, nomen hoc relinqueretur, hodieque in Pruſſia, *Lutherani* & *Reformati* intelligantur. Ante hos, una florebat in Pruſſia Romana Catholica religio, donec regnante SIGISMUNDO I. multi ab ea ſecederent, amplectentes, quam Lutherus in Saxonia inſtauraverat, Rege edictis & pœnis, in eos parum proficiente, niſi quod cautiores redderet, illorumque numerus clam ſenſimque augeretur. SIGISMUNDI I. filius & Succeſſor, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, primum ſeverus, ut pater, deinde remiſſior, civitatibus, quotquot petierant, modo uſum ſacræ cœnæ ſub utroque ſymbolo, modo concionandi verbi divini facultatem, modo liberum religionis, ex præſcripto *Auguſtanæ confeſſionis*, in templis cultui divino deſtinatis, exercitium, diplomatibus ſuis permiſit. *Juris origo.* Civitatum exemplum Nobilitas, in ſuis bonis impune ſecuta, ſacra ad Lutheranorum morem paſſim exercere cœpit, quod non minus in bonis Regiis factum, & Rex, œconomiæ ſuæ Mariæburgenſis colonis, Auguſtanæ confeſſionis uſum, non minus ac civitatibus, indulſit. Poſt SIGISMUNDI AUGUSTI mortem, Conſiliarii ex Pruſſia, Varſaviæ in comitiis convocationis a. 1573 præſentes, memorabili illi, pro pace & ſecuritate inter diſſidentes de religione, confœderationi aſſentiebantur, & civitates majores, electo Rege HENRICO, per conventionem cum ejus Legato, ſibi & minoribus civitatibus, exercitium religionis *Quo Nobilitas & civitates utuntur.*

nis Auguſtanæ confeſſionis, in iisdem templis, ubi illo tempore vigebat, illibatum paciſcebantur. STEPHANUS, qui HENRICUM excepit, Pruſſos eorum, quæ Polonis, religionis & aliorum jurium nomine, jurejurando pollicitus, participes reddidit. Interregno ante SIGISMUNDUM III. Pruſſi in edicto ſuo pro publica tranquillitate, pacem inter diſſidentes de religione promulgarunt, ad confœderationes Regni provocantes, eidemque paci, non minus ſequentibus interregnis omnibus, proſpexerunt, quam cum Reges jurejurando, pactis ſuis conventis, litterisque aliis firmarent, ſimul fidem ſuam Pruſſis obſtrinxerunt. Quod ſpeciatim ad civitates attinet, illæ privilegia ſua, a SIGISMUNDO AUGUSTO obtenta, a Sereniſſimis Ejus Succeſſoribus approbari curarunt, inter quas Gedanum, poſt obſidionem, a STEPHANO, pro libero uſu religionis Auguſtanæ confeſſionis, novum diploma impetravit, & civitatibus reliquis, quæ præter Gedanum & Putzkum, ſuperiore ſæculo, bello Svecico altero, in hoſtium poteſtatem venerant omnes, religio etiam a. 1660 per pacem Olivenſem, art. I. §. 3. aſſerta eſt: „ ut illis maneant omnia jura, libertates ac privilegia, quibus ſive

Quid pro civitatibus pace Olivenſi ſancitum.

„ ve

„ ve in eccleſiaſticis, ſive in profanis ante bellum potitæ, ſalvo libero, uti ante bellum viguit, Catholicæ & Evangelicæ religionis exercitio „ **. Pax hæc quidem, initio præſentis ſæculi, bello rupta, ſed a. 1732 novo pacto inſtaurata eſt ***, quo priſtinam vim receperunt, quæ in ſacris & civilibus, a. 1660 ſancita erant: quod Pruſſi non diffitentur, dum a. 1733 laudo præcipiunt, cives Romanos Catholicos in civitatibus Pruſſiæ, ad munia Magiſtratus, ſalvis pactis Olivenſibus, admittendos eſſe; & a. 1735 Nuntiis ſuis in comitia commendarunt, ut querelis, quod in inſula Mariæburgenſi, nonnulla templa contra pacta Olivenſia ædificata eſſent, medela, ſalvis diſſidentium libertatibus, afferretur.

Ad quam Pruſſiæ Ordines provocarunt.

(Ddd)

* Comment. ad Pacta conventa Auguſti III. p. 9. Ju. Pub. Regni Pol. T. II. lib. IV. c. 14. §. 3.

** Conf. diſſertatio de mutata in Pruſſia religione ante T. IV. Hiſtor. Pruſſ. §. 19 - 29.

*** Hiſt. Pruſſ. IX. Doc. 77.

§. 119.

Quæ ergo adverſus vetera diſſidentium jura, regnante AUGUSTO II. in Polonia acta, Pruſſi ad ſe minime pertinere

Quid noviſſimo interregno

 nere

Nuntiis ex Prussia, pro Dissidentibus mandatum. nere crediderunt, quin potius Nuntiis suis in comitia convocationis anno 1733 mandarunt: „ serio instare, ut securi- „ tati honorum, dignitatum, officiorum, „ bonorum, templorum & conscientiæ „ Dissidentium in religione christiana, „ juxta confœderationes Regni generali- „ ter omnes ab a. 1573, & leges in pa- „ ctis conventis, juramento Regio, & „ confirmatione jurium generali, nihil in „ iis in hoc immutando, prout priores „ Reges jurarunt, provideatur, nec non „ ut Dissidentes in activitate in quovis fo- „ ro & subsellio conserventur „. Cum vero Dissidentibus ex Prussia, in comitiis convocationis locus inter Nuntios negaretur, & per generalem confœderationem, adversus Dissidentes sancirentur multa, scilicet, ut facultate censendi in Nuntiorum conclavi, in tribunalibus & commissionibus careant, & ad nulla munia Regni & Litvaniæ, palatinalia, terrestria & castrensia admittantur; Prussi, ex quibus Dissidentes jam antea, quod Nuntiorum conclavi moti, contradixerant, ad ea, quæ in Dissidentes decreta, minime obligari voluerunt, cum pristinam censendi auctoritatem, in conventibus suis Dissidentibus relinquerent, ex eorum numero Nuntios ad comitia anno

Num quæ per confœderationem generalem adversus Dissidentes a. 1733. sancita, ad Prussos pertineant.

no 1735 mitterent, hisque injungerent, curare, ut judex terrestris Pucensis Krokovius, reformatæ religionis, muneris sui privilegium, cum subscriptione Regia & sigillo Regni, obtineret.

§. 120.

Arianos, cum pro Dissidentibus non habeantur, Prussia pulsos esse. Cum soli Lutherani & Reformati, in Prussia pro Dissidentibus habeantur, non possunt ad eos Ariani, qui alias Sociniani vocantur, referri, quia neque Lutherani, neque Reformati sunt: volebantque a. 1636 Prussi, ut ex tota sua provincia excedere, per constitutionem Regni juberentur, & in conventibus generalibus a. 1648 & 1652 Nobili, quia Arianus, censendi facultas negabatur. Pulsis a. 1658 & 1659 duabus constitutionibus Regno Arianis, Prussi leges illas exerceri postulabant, quod ut fieret, tertia constitutio, a. 1661 omnibus præcepit *. Ex quo tempore, in Prussia degere Arianis haud permissum, & interregno post JOANNEM III. Nuntiis in comitia convocationis mandatum: curarent, ut Ariani omnino exularent, & debitis pœnis multarentur; quod argumento est, illorum reliquias adhuc superfuisse. Cum in confœderatione ejusdem interregni, præter Arianos, etiam Quakeri & Mennoni-

De Quakeris, Menno-

 stæ

nistis & Pieti-stis. stæ a diſſidentibus ſegregarentur, iidemque in pactis conventis novi Regis, Arianis æquarentur, Prusſi in mandato ad comitia anno 1699, id non tantum probarunt, ſed etiam Pietiſtas adjecerunt. Verum Quakeri, qui ſunt, latitant, nec publice errores profitentur; Mennoniſtæ, quos privata ſimultas & lucri ſpes, publico odio, quaſi Arianis haud abſimiles eſſent, objecit, tolerantur; & Pietiſtarum nomen, & nomen merum, ex contentionibus ortum, contentionibus finitis, evanuit. *Judæi num tolerentur.* In Judæos ſunt leges antiquæ, ſuper quas voluerunt Ordines, ut illis in comitiis convocationis anno 1696 Prusſia interdiceretur, ne illis novas ibidem ædificare liceret *Synagogas*, utque ædificatæ ſolo æquarentur: quod fruſtra & forſan in ſpeciem poſtulatum, Judæis ex illo tempore frequentioribus, & latius per Prusſiam, ac olim, diffuſis. Benigniores etiam in eos novisſimo interregno fuerunt Ordines, id exigentes, ut modo negotiandi licentia circumſcriberetur, & tantum intra Regnum junctasque Regno provincias, commercium exercere illis liceret.

* Hiſtor. Pruſſ. VI. 102. VII. 19. 87. 263. Conſtit. a. 1658. p. 1. tit. Sektá Ariáńſka. a. 1659. p. 1. tit. Declaracya. Uchwała a. 1661. p. 1. tit. O Aryáńach.

§. 121.

Quod non integra Prusſia in ditione Regis Poloniæ manſerit. Prusſia Polona, cujus publicum jus deſcripſimus, pars eſt illius Prusſiæ, quæ ſub ditionem Regis CASIMIRI conceſſit, „ quam in ſuis antiquis limitibus conſervaturum ac tuiturum, nec „ eosdem limites diminui, aut periclitari paſſurum „, idem Rex in privilegio *incorporationis* promiſit. Non reſpondit voto & promiſſo, belli, quod de Prusſia cum Equitum Teutonicorum Ordine gerendum, fortuna, inſigni Prusſiæ portione ab Equitibus illis recuperata, ac pace anno 1466 obtenta. Portio hæc, anno 1525, altera pace, Regis Poloniæ clientela, feudum vocamus, & domus Brandenburgicæ hæreditas facta, ſed per Velavienſe pactum, anno 1657 clientela Regis Poloniæ exſoluta, fœdere perpetuo manente, Regnum anno 1701 evaſit. *Butavienſis & Lauenburgenſis tractus, Ducibus* Butavienſis & Lauenburgenſis tractus, veteres Prusſiæ partes, anno 1455 Pomeraniæ Duci certis conditionibus permisſi, cujus poſteris a SIGISMUNDO I. lege beneficiaria anno 1526 conceſſi, ac ſtirpe Ducum Pome-

Pomeraniæ, postea Electori Brandenburgico, traditi. raniæ mafcula anno 1637 exftincta, ad Prusfiam redierunt, fed per pacta Brombergenfia, anno 1657 Electori Brandenburgico, FRIDERICO WILHELMO, falvis fuis juribus & confvetudinibus traditi, ut Ipfe Ejusque pofteri mafculi, illos eo, quo olim Duces Pomeraniæ, modo posfiderent. Ex quo tempore, quoties occafio tulit, curæ fuit Prusfiæ Ordinibus, ut tractibus illis leges & confvetudines manerent integræ, quæque conftitutionibus Regni, Regum confirmationibus jurium generalibus, pactis conventis &c. firmatæ funt. Iisdem pactis Brombergenfibus, Eidem Electori Brandenburgico, Elbinga promiffa, ut occuparet, quam primum Svecis, qui tenebant, erepta effet, & Elector civitatem cum agro fuo reddere voluit, quadringentis imperialium millibus a Rege & Republica Polona fibi perfolutis. *Elbinga Brandenburgico Electori promisfa, a quo occupata & reddita.* Pace Olivenfi compofita, Sveci Elbinga excedebant, cui Polonicum præfidium impofitum, Electore fibi eam cum fuo agro tradi, aut pecuniam pro ea numerari, fruftra poftulante, licet de fumma centum millia imperialium remitteret. Quare poft triginta circiter annorum intervallum, Elector FRIDERICUS III. Elbingam per deditionem in fuam poteftatem

eftatem redegit, quam anno 1700 reddidit, novo antea pacto, ut intra tres menfes poft proxima Regni comitia, trecenta imperialium millia repræfentarentur, fecus Electori liceret, agrum Elbingenfem occupare, ejusdemque reditibus frui, donec pecunia illa præftaretur: qua conftituto tempore non præftita, agrum illum, vulgo *Elbingenfe territorium*, anno 1703 Elector, qui interea ex Supremo Duce, Rex in Prusfia inauguratus, fibi afferuit, reditibusque frui cœpit, quos cum agro ad Serenisfimam fuam Sobolem & Succeffores transmifit. *Quomodo Elbingenfis ager in poteftatem Regis Prusfiæ venerit.* Antequam tamen ager Elbingenfis occuparetur, in comitiis Lublinenfibus anno 1703, ad conferendam pro Prusfiæ Rege fummam, tributum molare, ex molis præftandum, decernebatur, quod cum ob bellum Svecicum & turbas inteftinas non exigeretur, in confilio magno Varfavienfi, anno 1710 iterum imperatum, & a Prusfis in fuo conventu anno 1713 probatum, fed collatum non eft. Poftea in comitiis anno 1726 placuit, cum Rege Prusfiæ, cum de aliis, tum de modo, quo reftitueretur ager Elbingenfis, agere, quod cum non fuccederet *, ac interea AUGUSTUS II. moreretur, voluerunt Prusfi, *Cura, ut pecunia foluta, ager ille pignore eximeretur.*

Prusſi, ut Rex Succeſſor, ad eximendum pignore, quo obſtrictus erat, agrum Elbingenſem obligaretur; factumque, ut Sacra Regia Majeſtas, AUGUSTUS III. in pactis conventis, de redimendo eodem agro, cum Rege Prusſiæ ex mente pactorum transigere ſe conaturum, polliceretur **. Tum vero Prusſiæ Ordines crediderunt, poſſe negotium confici, ſi trium millionum pars, quos Rex ante electionem ſuam Reipublicæ Polonæ obtulerat, impenderetur.

* Hiſtor. Pruſſ. IX. 146. 147. 156. 250. 285. 380. 390. 395. Conſt. a. 1726. p. 17. tit. Kommiſſya z dworem Berlińſkim.

** Pacta convent. Auguſti III. §. O eliberacyą Drahima & territorii Elbingenſis.

APPENDIX

APPENDIX

ACTORUM PUBLICORUM.

A.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ in præsenti conventu generali Mariæburgi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem vigore antiqui juris, moris & praxeos, Celsissimi & Reverendissimi Episcopi, Varmienses & Sambienses, S. R. J. Principes, harum terrarum Præsides, vi sublimis sui muneris præsidentialis, terris hisce conventus generales tempore interregni, mediantibus ad palatinatus & civitates harum terrarum directis litteris, partim universalibus, partim invitatoriis, indicere assveverunt; proinde inhærendo prædicto antiquo juri & consvetudini, ac præcavendo, ne præjudiciosa eveniat sequela, præsentibus statuimus, ut in futurum, præmissa necessaria hac indictione, mos antiquus, ab alte memorato Celsissimo Principe, ceu Præside harum terrarum, vel Consiliario, vices ejusdem sustinente, in suo vigore conservetur, dictique conventus generales, solito antiquitus more, ab Eodem, prævia cum reliquis terrarum Prussiæ Consiliariis communicatione, indicantur. In præmissorum fidem, sigillum harum terrarum Prussiæ hisce subappressum est.

Jus indicendi ab Episcopo Varmiensi conventus generales, interregni tempore.

eſt. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali ante convocationem Regni, die 23. menſis Martii, anno 1733.

B.

AUGUSTUS SECUNDUS, D. G. Rex Poloniæ &c. &c.

Venerabiles, fideliter Nobis dilecti.

Regia nominatio quatuor Canonicorum, ex quibus Epiſcopus Varmienſis eligatur.

Poſt translationem ad archiepiſcopatum Gnesnenſem, Primatialemque dignitatem Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Dn. Theodori Potocki, Præſulis veſtri immediati, de ſubſtituendo in locum ipſius ſucceſſore condigno ſolliciti, mittimus ad Fidelitates veſtras Nuntium Noſtrum, Venerabilem Franciſcum Kobielſki, Præpoſitum cathedralem Cracovienſem, cui commiſimus, ut præmiſis gratiæ Noſtræ Regiæ teſtimoniis, Fidelitatibus veſtris, Candidatos ad eandem Cathedram quatuor, juxta uſitatam praxin, videlicet, Reverendum in Chriſto Patrem, Chriſtophorum Joannem in Slupow Szembek, Epiſcopum Premislienſem, Venerabiles, Albertum Grzymała, Florianum Białkowſki, Joan. Burchert, Canonicos Varmienſes, proponat, ac Fidelitates veſtras, Regiis Noſtris reſpectibus obliget, ut vota & ſuffragia ſua, in perſonam dicti Reverendi in Chriſto Patris, Chriſtophori Szembek, uſibus Eccleſiæ & Reipublicæ magis opportunam, exigentibus id eximiis virtutibus & præſtantiſſimis ipſius meritis, conferant eundemque poſtulent. Quod fuſius Fidelitatibus

bus veſtris idem Nuntius Noſter exponet, cui plenam in omnibus fidem adhibeant, commendamus, & bonam iisdem a Domino DEO vovemus valetudinem. Dat. Varſaviæ, d. 19. menſis Decembris anno Domini 1722, Regni Noſtri, 26 anno.

AUGUSTUS REX.

C.

Sanctiſſime & Beatiſſime Pater. Domine, Domine colendiſſime.

Papa rogatur, ut electionem Epiſcopi Varmienſis confirmet.

Poſt oſcula beatiſſimorum pedum Sanctitatis Veſtræ, & obſequiorum noſtrorum humillimam commendationem.

Vacante ſede hujus Epiſcopatus Varmienſis, Sanctitati Veſtræ ſemper devotiſſimi, per translationem Celſiſſimi Principis & Reverendiſſimi, Theodori Potocki, ad Archiepiſcopatum Gnesnenſem, primæ in hoc cutæ noſtræ inſudabant, quatenus juxta receptum uſum & morem, electionem futuri Epiſcopi indiceremus, diemque illi deſignaremus. Citatis itaque in diem hodiernum & terminum, per prævium publicum edictum omnibus & ſingulis, qui huic electionis actui intereſſe tenentur, convenimus in locum conſvetum, conſultationibus Capitularibus deſtinatum, de electione ſive poſtulatione futuri Epiſcopi tractaturi, ac in eo loco congregati, omnes & ſinguli, invocata prius, intra ſacra miſſarum ſolennia, Spiritus Sancti gratia, nullo alio tractatu præceden-

dente, divina inſpiratione, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, Chriſtophorum Joannem in Słupow Szembek, Epiſcopum Premislienſem, actu Canonicum hujus Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, præter ſplendorem natalium, ampliſſimis virtutibus cultusque divini promovendi zelo conſpicuum, in Epiſcopum & Paſtorem animarum noſtrarum, ſecretis & concordibus ſuffragiis elegimus, ſeu poſtulavimus, factamque taliter electionem ſeu poſtulationem, per Reverendiſſimum Joannem Franciſcum Kurdwanowſki, Suffraganeum & Præpoſitum, ac Præſidem Capituli, in noſtrum omnium præſentia, tum cleri & populi frequentia, juxta ritum hujus Eccleſiæ ab antiquo obſervatum, pulſatis omnibus campanis, pontificaliter publicari fecimus, ac in gratiarum actionem Divinæ Majeſtati perſolvendam, hymnum Ambroſianum decantavimus. Beatiſſimis igitur Sanctitatis Veſtræ pedibus advoluti, humillime ſupplicamus, quatenus Sanctitas Veſtra electionem, ſive poſtulationem hancce noſtram, canonice abſolutam confirmare & ratihabere, ac huic diœceſi de præfato Paſtore provideri, mandare dignetur. Ut vero Sanctitati Veſtræ, vota & ſuffragia noſtra, unanimiter in ante dictum electum, ſeu poſtulatum noſtrum, derivata conſtent, canonicum hocce electionis decretum, Beatiſſimis Sanctitatis Veſtræ pedibus ſubſternimus, manibus noſtris propriis ſubſcriptum, & ſigillo noſtro Capitulari ſignatum. Dat. ad Eccleſiam noſtram Cathedralem Varmienſem,

enſem, die 14. Februar. 1724, ex Capitulo ad hunc actum ſolemniter celebrato

Sanctitatis Veſtræ

devotiſſimi & ſubjectiſſimi ſervi

JOANNES KURDWANOWSKI,

Epiſcopus Marocenſis,

Suffraganeus Præpoſitus Varmienſis,

Præſes Capituli.

Subſcripſerunt cæteri Canonici ſuo ordine.

D.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in conventu generali, Mariæburgi, a Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principe, Domino Epiſcopo Varmienſi, harum Terrarum Præſide, poſt translapſum infelicem nuper conventus generalis exitum, ſeorſivis litteris vocatoriis indicto, congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus: Magna ex eo ſubſequi inconvenientia, & antiquis uſibus & conſvetudinibus e diametro repugnantia, quando Illuſtriſſimi & Magnifici Domini, Provinciæ hujus Palatini, Caſtellani, Succamerarii, præcipue Palatini, transcenſis gradibus ſolitis, non præſtito prius ſuper tuenda Provinciæ hujus jura, in conventibus generalibus Terrarum Pruſſiæ juramento, & authoriſata dignitate ſua, jurisdictionem Caſtrenſem, tum quoque munia in hac Provincia, contra veterem praxin, ſibi uſurpare & arrogare præſumunt. Quapropter ſimiles ſiſtendo progreſſus, ſtatuimus in futurum, eosdem Illuſtriſſimos & Magnificos Dominos Senatores,

Conſiliarii habeant in Pruſſia poſſeſſiones eque ſtres & provinciæ jurent.

tores, præcipue Palatinos, non prius Senatoria Palatinaliave munia in hac Provincia, actusque juridicos in Castris suis, sub nullitate eorundem exercere debere, *antequam in conventu generali harum Terrarum, solenni juramento, Senatoriæ Palatinalisque suæ dignitatis non jaciant fundamentum*, atque in antecessum *firma & reali bonorum terrestrium in his Terris possessione*, juxta exigentiam constitutionum publicarum, Senatoriam Palatinalem, Castellanalem curulem, vel Succamerariatus dignitatem, firment & corroborent. Quod tamen juramentum præstare de novo, ex Castellanatus vel Succamerariatus dignitate, Palatinalem assumentes non tenebuntur, si in antecessum super dignitate sua Senatoria, hocce idem in provincia præstiterint: secus facturos, non modo ipso facto Senatoriæ Palatinalis, Castellanatus ac Succamerariatus dignitatis, nec non & possessionis Capitaneatus ad eundem palatinatum pertinentis, incapaces fore declaramus, verum etiam Capitaneatum eundem, Illustri & Magnifico Terrarum Prussiæ Thesaurario pro tunc existenti, apprehendere in rem thesauri permittimus & sancimus; nec non & pœnam sex millium Ungaricalium, in exsolutionem stipendiorum militarium, ad ærarium publicum hujus Provinciæ, huic laudo contravenientes Illustrissimos & Magnificos Dominos Senatores, Palatinos, Castellanos & Succamerarios, succumbere debere, decernimus. Quam quidem sex millium Ungaricalium summam, sine mora iidem contravenientes,

venientes, ad manus Illustris & Magnifici Thesaurarii Terrarum Prussiæ reponere tenebuntur, & in casu contraventionis, ad instantiam ejusdem Thesaurarii & cujusvis Nobilis possessionati, in primo termino peremtorie, sine ullis diffugiis juris & appellationibus, quæ præsenti laudo cassantur & annihilantur, coram officio vicinioris palatinatus respondebunt, & ibidem judicatum cum indilata executione officii ejusdem, sine beneficio remissionis passuri, præsentis laudi vigore. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum harum appressum est. Actum & datum Mariæbnrgi, in conventu generali ante convocationem Regni, die 17. mensis Augusti anno 1696.

E.

Novi Episcopi jurent, se Prælaturas & Canonicatus indigenis collaturos esse.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, Graudenti in conventu generali antecomitiali congregati, universis & singulis præsentium notitiam habituris, notum testatumque facimus. Quia nos providendo decori & conservationi jurium harum Terrarum, autoritate hujus conventus & vigore laudi præsentis statuimus, ut quivis deinceps in his Terris admittendi Illustrissimi atque Reverendissimi Domini Episcopi, seu indigenæ, seu regnicolæ fuerint, circa juramentum solenne Provinciæ præstandum, & super puncto mediante corporali juramento jurent, *quod ad beneficia spiritualia, specialiter vero ad Prælaturas & Canonicatus, juri & dispositioni suæ subjacentes, veros &* legiti-

legitimos harum Terrarum Nobiles & indigenas promovebunt & instituent. Quodsi vero ad hoc punctum juramentum præstare detrectaverint, tunc Illustrissimos atque Reverendissimos Dominos Episcopos illos, nullo modo ad occupandum stallum suum admittendos declaramus. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum harum hisce subappressum est. Actum & datum Graudenti in conventu generali antecomitiali Terrarum Prussiæ, die 19. mensis Maji, anno 1699.

F.

Qui non missi, viritim in conventus generales venerint, censendi auctoritate careant.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu moderno generali Mariæburgi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus: Quod cum hucusque occasione Nuntiorum ad conventus generales promiscue venientium, variæ exortæ sint confusiones, ac propterea minus prosperum in iisdem consilia publica suum sortita sint eventum; ideo huic obviando, præsentibus constituendum & ordinandum esse duximus, prouti præsentibus constituimus & ordinamus, ut videlicet omnes, qui in particularibus conventibus præsentes non aderunt, in Nuntios ad generalem conventum haud eligi, minus vero *vocem activam* ibidem habere debeant, quod similiter etiam de iis, *qui viritim ad eosdem non deputati profecturi sunt*, intelligi debet. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæb. die 19. mensis Maji a. 1654.

Nos

G.

Nuntii ad conventus & comitia sint indigenæ & possessionati.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu generali Thoruni congregati, universis & singulis, notum testatumque facimus: nos auctoritate moderni conventus ordinasse & constituisse, ut juxta jura antiqua & consvetudines, nulli inposterum Nuntii Terrarum harum, nisi qui *veri earundem indigenæ & possessionati* fuerint, neque ad conventus harum Terrarum, neque ad comitia Regni deputentur & nominentur, aut ipsi inter ceteros Dominos Nuntios sibi locum usurpare præsumant. In quorum fidem sigillum harum Terrarum hisce subapprimi fecimus. Actum & datum Thoruni in conventu generali, die 26. mensis Februarii, anno Domini 1665.

H.

Civitates minores a Nobilitate ne consultationibus arceantur.

Nos Consiliari Terrarum Prussiæ, in præsenti conventu Culmæ congregati, notum testatumque facimus, quorum interest universis & singulis: Quandoquidem in proxime præterito Statuum & Ordinum conventu, inter Nobilitatem & minorum civitatum Nuntios, difficultates quædam exortæ sunt, dum Nobilitatis Internuncii, minorum civitatum ablegatos a deliberationibus suis excludere voluerunt, quo ipso non modo consilia publica turbari, quin & contra jus perpetuamque longissimi temporis consvetudinem, ordo secundus dividi, ideoque ipsam Reipublicæ formam everti periculum est. Malo itaque huic matura deliberatione oc-

 curren-

currendum eſſe duximus, proindeque eo etiam conſiderato, quod ſeorſivis Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, litteris, ad publicas deliberationes vocentur, concluſum eſt in præſenti conventu omnium conſenſu, nulla ratione imposterum hoc nomine quicquam innovandum, ſed *vigore juris & conſvetudinis, minorum civitatum Nuntios, ad conſultationes Nobilitatis admittendos, nulloque prætextu ſecludendos eſſe.* In cujus rei fidem ſigillum harum Terrarum præſentibus appreſſum eſt. Actum Culmæ in conventu noſtro generali, die 11. menſis Februarii, anno Dom. 1621. præſentibus Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo, Magnificis, Generoſis, Nobilibusque & Spectabilibus, Dom. Joanne Kuczborski, Epiſcopo Culmenſi & Pomeſaniæ, Joanne Weiher, Palatino Culmenſi, Samuele Konarski, Caſtellano Gedanenſi, Jacobo Sczepanski, Succamerario Culmenſi, Henrico Stroband, Proconſule, Daniele Eſcio, civitatis Thorunenſis Conſule, Joanne Jungſchultz, Proconſule, Michaele Fuchſio, Conſule civitatis Elbingenſis, Eilardo a Bobart, Conſule civitatis Gedanenſis, Luca Elzanowski, Vexillifero Culmenſi, Stan. Rokonicki, Felice Powalski, & aliis.

I.

JOANNES CASIMIRUS

Dei gratia Rex Poloniæ &c.&c.

Reſcriptum

Reverendi, Magnifici, Generoſi, Nobiles & Famati, ſincere & fideliter Nobis dilecti. Exponi Nobis fecerunt per ſupplicem libellum minores civitates Terrarum Pruſſiæ, toties ipſas a conventibus generalibus & conſultationibus publicis, contra jura & uſum antiquum Provinciæ illius hactenus illibate obſervatum excludi, ac libera voce in iisdem privari. Proinde cum omnium Provinciarum Regni Noſtri, multo magis Ordinum & Statuum Terrarum Pruſſiæ jura & privilegia, per Divos Prædeceſſores Noſtros ſancita & ſacroſancte obſervata, illibate conſervare & manutenere jurejurando obſtricti ſimus, utque cuique Ordini ſua conſtet prærogativa, proſpicere Regium putemus, diligenter Sinceritates & Fidelitates veſtras requirimus & hortamur, ut indemnitati jurium & ſtatutorum Provinciæ illius ſerio proſpiciant, neque eadem aliqua ex parte per ſe ipſos labefactari ac diminui patiantur, imo *prædictas minores civitates, quas etiam Nos ſpecialibus litteris Noſtris, ex ſolenni inſtituto & hactenus practicato, ad quosvis generales conventus arceſſere ſolemus, ad conſultationes publicas admittant, & circa uſum antiquum manuteneant.* Facturæ id Sinceritates & Fidelitates Veſtræ pro rei ipſius æquitate & gratia Noſtra. Quas de cætero optime valere cupimus. Datum in Olſzyni die 24. menſis Aprilis anno Domini 1654. Regnorum Noſtrorum Poloniæ & Sveciæ 6 anno.

Regium pro civitatibus minoribus, ut ad conſultationes in conventibus admittantur.

L.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali Grau-denti-

Conventus or-

dinarii instaurentur. dentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Magni emolumenti effectu Patria hæc nostra destituitur, quod conventus ordinarii, judiciaque Dominorum Consiliariorum in iisdem exerceri solita, jam aliquot abhinc annis, injuria temporum habita non fuerint; eam ergo consvetudinem ad juris orbitam reducendo, autoritate præsentis conventus statuimus, quod *conventus ordinarii, statis temporibus, Thoruni pro Festo S. Michaelis Archangeli, & Mariæburgi pro Festo S. Stanislai reassumi*, judicia Dominorum Consiliariorum exerceri, ac alia in iisdem tractari solita, reinduci debeant. In præmissorum fidem sigillum harum terrarum hisce est subappressum. Actum & datum Graudenti in conventu generali, d. 28. mensis Junii anno 1677.

M.

Districtus absentes ne ad lauda conventuum obligentur, nisi consensus eorum sequatur. Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali postcomitiali Tucholiensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus, ac autoritate ejusdem manifestamus, præcavendo indemnitati jurium ac immunitatum harum Terrarum, nos propter errores, qui aliquoties hoc tempore intercesserunt, dum litteræ universales Regiæ non tempestive, aut etiam plane palatinatibus exhibitæ non fuerunt, ac nihilominus in conventibus generalibus, non attenta nonnullorum absentia, qui de lege vocari debent,

bent, lauda contributionum, aliaque in præjudicium aliorum constituta fuerint; igitur occurrendo huic malo, cautum esse volumus, absentes ex tali ratione *districtus, ad ejusmodi lauda imposterum non teneri, verum ab illis exemtos futuros*, donec inter illos in aliquo subsequenti generali conventu, de talibus laudis convenerit, fraterna & amicabili compositione facta. Ac cum quoque in solemnitatibus hactenus observatis, multa, cedendo necessitatibus, neglecta fuerint & non observata, similiter cautum esse volumus ista, in præjudicium jurium ac libertatum harum terrarum vergere non debere. In cujus rei fidem sigillum præsentibus est subappressum. Actum in conventu generali Tucholiensi, die 21. Octob. anni 1658.

N.

Conventus tum palatinatuum, tum singularum terrarum in palatinatu Pomeraniæ, ante generalem Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu generali Mariæburgi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quemadmodum anterioribus laudis solemniter sancitum est, ut ante conventum generalem, particulares more solito *in quolibet palatinatu*, & quidem *in palatinatu Pomeraniæ in quolibet districtu, præcedant & opportune intimentur:* proinde auctoritate præsentis conventus lauda anni 1658 & 1678 reassumimus, & in perpetuum valitura declaramus. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum harum subappressum est. Actum &

habeantur. & datum Mariæburgi in conventu generali, die 6. mensis Augusti anni Domini 1708.

O.

Conventus particulares generalem præcedant. Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem nupero conventu antecomitiali, a Sac. Reg. Majestate ad diem 7. mensis Novembris, Mariæburgum indicto, nullo rei successu, certum ob casum dilapso, temporis moderni expressit necessitas, ne provincia hæc tam ampla, instantibus jamjam comitiis, ob defectum Nuntiorum suorum, activitate in illis privata videretur, ut alius conventus harum terrarum generalis antecomitialis, sine ulla conventuum particularium, ante præfatum Mariæburgensem conventum incidentium, celebratione haberetur, præsentem conventum generalem, nullis præviis novis particularibus, Sacra Regia Majestas indicere benignissime dignata est; proinde præsentis laudi vigore cavemus, quod inposterum nulli conventus generales, quos Sacræ Regiæ Majestati in his terris agere visum fuerit, *nisi particularibus more solito in quolibet palatinatu præcessis celebrari*, præsentisque conventus exemplum, quem ob arctissimi temporis interstitium, futuris comitiis, ad diem 15. Grodnæ in magno Ducatu Litvaniæ incidentibus, per compendia agi necessitatis ratio svasit, in sequelam trahi allegarive haud debeat. In præmissorum fidem

dem sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum in conventu generali antecomitiali, Graudenti, die 5. Decemb. 1678.

P.

Quomodo vices inter civitates, ubi conventus habendi, intelligendæ sint. Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem sæpius propter incertitudinem loci & alternatæ rite habendæ, explicandæ & intelligendæ, ex Cancellaria Regni, in designando loco justo conventui, varii errores commissi sunt, plurimique conventus irrito eventu, non absque magno Terrarum harum damno, evanuere. Hinc subveniendo huic dubio & incommodo, autoritate præsentis conventus, declarandum esse ducimus, prout hisce declaramus, quod eo tantum casu jus alternatæ locum habere possit, quoties acciderit, quod *exaudita Sacræ Regiæ Majestatis Nuntii propositione, & electo Mareschalco equestris Ordinis, cœptis jam præliminaribus*, infelix per ruptionem conventus sequatur exitus, secus vero intelligendum sit, quando neque præliminaria ulla præcessere, neque ruptus, imo ne quidem inchoatus est, quo casu iterum in eodem loco, quo antea, assignandus erit. In præmissorum fidem sigillum Terrarum Prussiæ hisce est subappressum. Actum & datum Graudenti in conventu generali, die 30. Junii anno 1687.

Nos

Q.

De conventu generali ex alternata Mevæ celebrando. Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Mariæburgi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus; Quandoquidem Magnifici ac Generosi Domini Nuntii ex palatinatu Pomeraniæ, ad præsentem conventum generalem delegati, considerando, quod palatinatus Pomeraniæ, paribus & æqualibus cum reliquis palatinatibus hujus Provinciæ juribus gaudeat, alternatam celebrandorum conventuum generalium, etiam in civitate Mevensi constitui institerunt. Hinc perpensa hujus requisiti æquitatis ratione, auctoritate præsentis conventus, *salva approbatione Regia*, declarandum esse duximus, prout præsentibus declaramus, quod in futurum, ex turno, *tertius conventus Mevæ celebrandus sit*, incipiendo conventum proxime sequentem generalem in palatinatu Culmensi Graudenti, quem secundus conventus Mariæburgi, & tertius Mevæ subsequetur. In quorum majorem fidem sigillum harum terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæburgi, in conventu generali, antecomitiali die 29. mensis Augusti anno 1735.

R.

Hospitia pro iis, qui in conventibus præsentes. Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Mariæburgensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem ipsa rerum experientia testis est,

est, maximam esse Illustrissimorum & Excellentissimorum Dominorum Consiliariorum, Illustrium & Magnificorum Dominorum Nuntiorum, ad conventus venientium, ex hospitiorum præreptionibus incommoditatem; proinde præsentis laudi auctoritate sancimus & ordinamus, quod earundem civitatum, in quibus ordinarii conventus haberi solent, deputati ad id negotium ex Magistratu, *abhinc tempestive hospitia cuique pro status exigentia*, atque ipsarum civitatum capacitate, *commoda adscribere*, regestraque illorum conficere, atque continuo tempore, in eodem usu & ordine permanere & conservari debeant. In præmissorum fidem sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, die 10. Decemb. anno 1681.

S.

Venceslaus Comes de Lesno Lesczinski, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Varmiensis & Sambiensis.

Cautio, quod conventus in curia civitatis non celebratus. Universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus, præsentibusque assecuramus. Quod licet tam proxime præteritus, ante generalem Regni convocationem, Mariæburgensis a nobis indictus conventus, quam modernus ante electionis comitia, ob adversam nostram valetudinem, corporisque evidentem infirmitatem, contra

tra morem perpetuo hactenus obſervari ſolitum, in prætorio civitatis Mariæburgenſis, continuis actibus celebrari minime potuerit, exindeque factum ſit, ut tam reliqui Domini Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ, quam Domini Nuntii terreſtres palatinatuum, celebrari eundem in templo parochiali permiſerint: quod proinde *in loco extraordinario iſta prædictorum conventuum celebratio*, *antiquisſimis præfatarum Terrarum conſvetudinibus*, *minime nocere aut derogare quidquam posſit*, *aut debeat:* quin imo generales harum Terrarum conventus, more hactenus uſitato, in prætorio civitatis expediri, uti ante, ita & impoſterum perpetuo debeant. In quorum fidem ſigillum noſtrum, una cum ſubſcriptione manus propriæ, apponi curavimus. Datum Mariæburgi, die 20. Septembris anno 1648.

Venceslaus de Lesno,
Epiſc. Varmienſis.

T.

Nemine ex ſuperioribus juratis Conſiliariis præſente, civitates majores

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in conventu moderno generali Graudenti congregati, univerſis & ſingulis notum teſtatumque facimus. Quandoquidem circa fundationem generalis harum Terrarum conventus, biennio abhinc, anno nempe 1728. in diem 30. Auguſti Mariæburgum indicti, circumſtantiæ plane inſolitæ, ob ceſſantem infelici fato, per quindecim retro annos generalium Terrarum Pruſſiæ conventuum activitatem, occurrebant, ut ſcilicet neque Celſiſſimus harum Terrarum Præſes, neque Illuſtriſſimi, Reverendiſſimus, Excellentiſſimi, Illuſtres Domini, Epiſcopus, Palatini, Caſtellani & Succamerarii, qui una cum tribus civitatibus majoribus, numerum Conſiliariorum Terrarum Pruſſiæ perficiunt, poſt obtentas hasce dignitates, juramentum ſolenne in facie Statuum & Ordinum harum Terrarum, ad illud usque tempus præſtare potuerint; ideoque fundatio ejusdem conventus, ordine ſic ducente, Nobilibus civitatum majorum Internunciis merito competiiſſet, rationes vero prægnantes interceſſerant, ob quas Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi & Illuſtres Domini Palatini, Caſtellani & Succamerarii, ſiquidem omnes veri & indubitati indigenæ, & ad capeſſendas dignitates ſuas ſine controverſia admiſſibiles exiſtebant, circa fundandum prædictum conventum, & expedienda quædam præliminaria, in prætorio civitatis, tanquam ordinario conſiliorum conventualium loco, licet nondum jurati, comparerent, & eorundem conſiliorum directio Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Palatino Culmenſi tantisper committeretur, qua etiam ſparta, cum maxima inſignis dexteritatis ſuæ & innati erga Provinciam & ſingulos ejusdem cives amoris demonſtratione, tamdiu functus fuit, quoad Celſiſſimus Princeps Epiſcopus Varmienſis, præſtito publice in templo arcenſi juramento, munus ſuum præſidiale fauſtis ominibus adivit; civitatum vero majorum Nobiles In-

ternuntii expreſſe tunc præcaverunt, ne facilitas ſua, quam in caſu hoc plane inſolito, ob ſingulares circumſtantias, ex amore boni publici teſtati ſunt, in ſequelam civitatumque majorum præjudicium traheretur, qua de re tamen tunc temporis, propter ruptum infeliciter conventum, nihil publice ſcriptis mandari potuit. Proinde Nos præſentibus firmiſſime præcuſtodimus, ea omnia, quæ circa fundationem ante dicti conventus acta ſunt, juribus & prærogativis civitatum majorum nihil quicquam derogare debere, quin potius impoſterum, ſi idem iſte caſus, qui tunc exſtitit, (quod tamen DEus avertat), eveniat, vel fortaſſe circa initium generalis alicujus harum Terrarum conventus, ex juratis Dominis Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis & Succamerariis, nemo propter impedimenta, præſens in loco conventus adſit, tunc *fundationem conventus, & quæ cum illa connectuntur, directioni Nobilium, qui ex tribus civitatibus majoribus aderunt, Dominorum Internuntiorum, citra contradictionem relinqui debere.* In quorum fidem præſentibus ſigillum harum Terrarum ſubappreſſum eſt. Actum & datum in conventu generali ante-comitiali Graudentinenſi, die 28. menſis Auguſti anni Domini 1730.

V.

Honorarium pro Nuntiorum Marſchalco.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali Mariæburgenſi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus. Quia nos conſiderantes eximias animi dotes, magnaſque virtutes, ſummam in rebus activitatem, laudabiliterque geſtam Mareſchalcatus in moderno conventu ſpartam, atque maximam, tam in conventu Gedani in anno 1710 habito, tanquam tunc temporis Vice-Mareſchalci, quam etiam, quo in moderno conventu glorioſe functus eſt, Mareſchalcatus officio, patientiam Magnifici Domini, Martini Joannis Chelſtowſki, Vexilliferi & Vice-Palatini Pomeraniæ: Idcirco Nos, grati viciſſim conteſtandi noſtri affectus ergo, ac *in ſignum bonæ noſtræ voluntatis 500 aureos Hungaricales offerendos eſſe duximus*, prout eos per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Theſaurarium harum Terrarum, ex contributionibus publicis, eidem Magnifico Domino Vexillifero & Vice-Palatino Pomeraniæ offerri volumus, præſentis laudi vigore. In quorum fidem ſigillum harum Terrarum eſt ſubappreſſum. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, die 22. Maji, anno 1713.

X.

Archivum Pruſſiæ Thoruni reparetur.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in conventu generali Mariæburgi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus. Poſteaquam juſto divini Numinis ſic permittente judicio, circa obſidionem civitatis Thorunenſis, una cum curia ac aliis publicis & privatis civitatis ædificiis, etiam archivum Terrarum Pruſſiæ, nulla humana ope reſtingvendis flammis

flammis infeliciter exuſtum eſt. Quod, *ut rurſus reparetur*, cum Provinciæ maxime intersit; proinde auctoritate moderni conventus decernimus, *ut reviſio & ſpecificatio*, per Nobilem & Spectabilem Magiſtratum civitatis Thorunenſis, *documentorum publicorum*, ſi quæ remanſerunt, in præſentia Illuſtris, Magnificorum & Generoſorum Dominorum, Olbrachti Kawieczynſki, Succamerarii Culmenſis, Boguslai Kitnowſki, Notarii caſtrenſis Culmenſis, Caſimiri Kitnowſki, Judicidæ Mariæburgenſis, & Andreæ Grabowſki, Notarii terreſtris Leoburgenſis, quantocyus fiat, quo civitates reliquæ majores requiri poſſint, ut defectum hunc, per documentorum ſuorum, Terras Pruſſiæ concernentium, communicationem ſuppleant, utque in futurum lauda conventualia, non tantum in archivo Thorunenſi primario asſerventur, verum etiam in caſtris palatinatuum exemplar eorum ingroſſetur. In præmiſſorum fidem, ſigillum harum Terrarum ſubappreſſum eſt. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, die 6. menſis Auguſti anni Domini 1708.

Y.

Conventus generales intra triduum abſolvantur.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali congregati, notum teſtatumque facimus univerſis & ſingulis, quorum intereſt, quod unanimi omnium conſenſu & voluntate conſtituerimus ordinaverimusque, prout quidem laudo præſenti ordinamus & conſtituimus, ne impoſterum

poſterum conſultationes publicæ, in conventibus quibusvis generalibus, *ultra tridui ſpatium ullatenus protrahantur*, quin imo intra præmemoratum tempus, absque ulteriori protelatione definiantur & concludantur, præſentis laudi vigore. In præmiſſorum fidem ſigillum Terrarum Pruſſiæ præſentibus eſt ſubappreſſum. Actum & datum Mariæburgi, die 19. Jul. anno 1655.

Z.

Actum in judicio civili Graudentinenſi bannito, die vigeſima quarta menſis Januarii, anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo tertio.

Nuntii terreſtres ex conventibus particularibus ad comitia ne proficiſcantur.

Coram judicio & actis præſentibus civilibus Graudentinenſibus, perſonaliter comparentes, Generoſi & Spectabiles, Chriſtophorus Powalſki, Albertus Kowalkowſki, Antonius Donepe, Thorunenſis, Bartholomæus Meienreiſs, Elbingenſis, Georgius a Bœmeln, Gedanenſis, Secretarii, nomine Illuſtrium Magnificorum, Nobilium ac Spectabilium, Nicolai Weyher, Palatini Mariæburgenſis, Chriſtburgenſis, Radzinenſis &c. Capitanei, Gerhardi Dœnhoff, Caſtellani Gedanenſis, Oeconomi Mariæburgenſis, Koſciercinenſis &c. Capitanei, Henrici Strobandt, Præconſulis, Friderici Lichtfus, Conſulis Thorunenſis, Sigismundi Meienreiſs & Henrici Horn, Conſulum Elbingenſium, Joannis Roſſau & Clementis Kœlmer,

Consulum Gedanensium, Consiliariorum Terrarum Prussiæ, in conventu generali Graudentinensi congregatorum, inhærendo manifestationi & protestationi, per eosdem Illustres, Magnificos, Nobiles ac Spectabiles Principales suos, in consessu publico interpositæ, & coram Magnifico Domino Nuntio Sacræ Regiæ Majestatis repetitæ, interposuerunt, de eo, quod cum iidem Illustres, Magnifici, Nobiles ac Spectabiles Domini Consiliarii Terrarum Prussiæ, ad litteras Sacræ Regiæ Majestatis, quibus tam prædicti Illustres & Magnifici Equestris ordinis Domini Consiliarii, quam & civitates prædictæ majores, ad conventum generalem antecomitialem, pro die vigesima secunda Januarii hujus anni indictum vocarentur, ad tractanda consilia publica, expeditis jam seorsivis Magnificorum & Generosorum Dominorum Equestris ordinis Nuntiorum terrestrium consultationibus, unanimiter & more solito descendissent, certosque articulos cum iisdem Magnificis & Generosis Dominis Equestris ordinis Nuntiis jam conclusissent, Generosus Dominus Joannes Ignatius Bąkowski, solus & unus ex palatinatu Culmensi, non obstante tam prædictorum Illustrium, Magnificorum, Nobilium & Spectabilium Dominorum Consiliariorum, quam & reliquorum Dominorum Nuntiorum terrestrium, nec non & Collegarum suorum ex eodem palatinatu, unanimi consensu, pluries licet ac repetitis vicibus, eo nomine rogatus & admonitus, in certis quibusdam punctis, pertinaciter

tinaciter se iisdem opposuerit, ac proinde causam manifestam ac inevitabilem præbuerit, quo minus conventus optatum & intentioni Sacræ Regiæ Majestatis accommodatum sortitus fuerit eventum. Cumque Magnifici ac Generosi Domini Nobilitatis Nuntii, dissoluto hoc conventu generali, cum *privatis nihilominus, e particularibus conventibus acceptis instructionibus, ad generalia Regni comitia, contra jura & consvetudinem harum Terrarum* proficisci intendant, quod etiam ea, quæ in dictis comitiis præfati Domini Nuntii, generali instructione destituti, tractaturi aut conclusuri sint, *Terras & civitates nullatenus afficere, aut iisdem præjudicare possint*, hac sua manifestatione ac protestatione ad præmissa mediante. Cujus pro rei exigentia meliorandæ, augendæ & immutandæ facultatem, præfati Illustres, Magnifici, Nobiles ac Spectabiles Domini Consiliarii harum Terrarum reservant.

Ex actis civilibus Graudentinensibus extrad.

In præmissorum fidem sigillum civitatis Graudentinensis præsentibus est subappressum

Barthol. Schubert,

Notar. ibidem juratus subscr. m. p.

Aa.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu præsenti generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum *Rupto conventu ante-*

comitiali, ne sibi Nuntii terrestres in comitiis agendi facultatem arrogent.

rum intereſt, notum teſtatumque facimus: Motam fuiſſe inter nonnullos ex Statibus & Ordinibus controverſiam, utrum Domini Nuntii Equeſtris Ordinis, ex conventibus particularibus, ad conventus generales ante-comitiales ablegati, ſi forte contingat, conventus generales ante-comitiales rumpi & optato fine fruſtrari, nihilominus ex vi inſtructionum in conventibus particularibus in eos collatarum, in comitiis Regni comparendi & activitate fruendi facultatem habere debeant. Hanc igitur quæſtionem ex antiquis Terrarum Pruſſiæ juribus & moribus determinando, unanimi conſenſu noſtro ordinamus & ſtatuimus: Quandoquidem inſtructiones particularium conventuum omnium, primo robur ſuum, vim & efficaciam, accedente in conventibus generalibus, univerſorum Statuum & Ordinum conſenſu, conſeqvantur ac in ordinem redigantur, ipſique Domini Nuntii, in particularibus conventibus nominati, in generalibus demum confirmentur, & ad functionem comitialem, ex vi inſtructionum a Statibus & Ordinibus formatarum, & ſigillo Terrarum publico munitarum, habilitentur, *quod proinde in caſum rupti alicujus conventus generalis ante-comitialis*, (quod omen, quam longiſſime ab his Terris DEus benigniſſime avertat), *Domini Nuntii*, in particularibus conventibus electi, *activitate in comitiis minime uti, nec ad promovendum aliquod negotium ullam autoritatem prætendere poſſint*, quin imo ſi ſeſe ad tractanda ibidem Reipublicæ negotia ingeſſerint, id omnino irritum & inane eſſe debeat, præſentis laudi noſtri vigore. In cujus evidentiorem fidem, ſigillum Terrarum Pruſſiæ ſubapprimi fecimus. Actum & datum in conventu generali Graudentinenſi, die 26. menſis Januarii, anno 1671.

Bb.

Qui in comitia mittendi ſint Nuntii.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in conventu generali Thoruni congregati, notum teſtatumque facimus, Nos auctoritate moderni conventus, inhærendo anteriori laudo Thoruni die 6. menſis Februarii anno præterito, ordinaſſe & conſtituiſſe juxta antiqua jura & conſvetudines, quod nullus imposterum Nuntius, tam ad conventus harum Terrarum, quam ad comitia Regni deputandus ac nominandus ſit, niſi qui ſit *verus indigena, poſſesſionatus & ſimul in conventibus præſens*, neque quisquam, ſi ex his Terris *una atque altera vice Nuntii munere functus fuerit, ſtatim pro indigena habendus erit.* In præmiſſorum fidem, ſigillum harum Terrarum præſentibus ſubapprimi fecimus. Actum & datum Thoruni in conventu generali, die 11. menſis Octobris, anno 1666.

Cc.

Theſaurarius bona Regia vacua occupet.

Nos Status & Ordines Terrarum Prusſiæ, in moderno conventu generali Mariæburgi congregati, notum teſtatumque facimus: Quod nos officium theſaurariatus Terrarum Pruſſiæ in executionem deducere, indemnitatique jurium proſpicere volentes, auto-

autoritate præſentis conventus laudaverimus ac ordinaverimus, vigoreque laudi hujus laudamus & ordinamus, ut impoſterum non Illuſtriſſimus Theſaurarius Regni, ſed Illuſtriſſimus Theſaurarius Terrarum Pruſſiæ, *bona earundem vacantia poſt deceſſum poſſeſſoris recipiat*, inventarium ſuper iisdem conficiat, donatariis novis tradat, eaque omnia, quæ ipſius hac in parte, tam quoad ipſa bona, quam contributiones ex iisdem pendi ſolitas, ſunt muneris, tum & ſalarium Theſaurario Pruſſiæ competens, & alias quasque functiones, ex officio theſaurariatus ipſum concernentes expediat, proventus quoque a morte poſſeſſoris, ad poſſeſſionem novi donatarii, uti de jure competit, ad quartam inferat, indeque rationes reddat, interim vero pro adminiſtrandis capitaneatibus, veros harum Terrarum indigenas poſſeſſionatos offerat, neque in *dictorum bonorum poſſeſſionem & adminiſtrationem*, *niſi earundem Terrarum indigenam*, juxta privilegium incorporationis & cautiones Regias, non attento eo, quod quis primum in contrarium jurium harum Terrarum impetraverit privilegium, intromittat: quo nomine Theſaurarii impoſterum Terrarum Pruſſiæ juramento obſtricti eſſe debent. Quorum quidem functionem ab executione ipſa redintegrare, priſtinæque ſuæ auctoritati reſtituere cupientes, quandoquidem poſt deceſſum Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, duo capitaneatus in his Terris exſtant, in quorum ſolida ordinatione ac diſpoſitione, terris hisce haud parum momenti ſitum eſt, ne videlicet poſſeſſoribus ſuis deſtituantur. Proinde quantum ad capitaneatum Pucenſem attinet, de eo ſic ordinamus, ut quoniam unicum illud præſidium, quod in his terris Pruſſiæ habemus, in omnibus Regni comitiis, circa deſignandam militi præſidiario exſolutionem, varias creare difficultates conſvevit, ſublevantes in hoc ſolutionis onere Rempublicam, terrarumque harum omnium ſecuritati proſpicientes, Illuſtriſſimo Domino Theſaurario terrarum Pruſſiæ, præſentibus committimus, ut Illuſtriſſimo Domino Palatino Mariæburgenſi, qui præſidiario militi ibidem exiſtenti præeſt, eundem relinquat, Dominus vero Palatinus Mariæburgenſis, ex ordinatione conventus præſentis, conformando ſeſe præteritis palatinatuum & diſtrictuum conventibus, prout illud hactenus tenuit, ita etiam tantisper teneat, usque dum DEO volente, Regem nobis feliciter imperaturum habituri ſimus, qua in re, fidem quoque Illuſtriſſimi Domini Palatini obſtringimus, futuro vero Regi in pactis conventis id offeremus, ne cuipiam prædictum capitaneatum conferat, niſi illi harum terrarum indigenæ, qui ſolutionem ſtipendiorum eidem militi præſidiario provenientium in ſe receperit, penſionesque in eodem exiſtentes, illis, quibus illæ competunt, extradat &c.

Quantum vero ad capitaneatum Brodnicenſem attinet, is in ſolius Illuſtriſſimi Domini Theſaurarii diſpoſitione remanebit, eun-

eundemque autoritate præsentis conventus ac muneris sui ratione ductus, ad se recipiet, proventibusque usque ad felicem futuri Regis coronationem levatis & receptis, in conventu ante eandem coronationem, de iis rationes reddet, in quo fidem itidem Domini Thesaurarii obstringimus, eoque nomine tam apud Rempublicam, quam & in aliis locis, publico nomine omnem eidem pollicemur indemnitatem. Futuro vero Regi id inter pacta conventa referemus, ut quoniam palatinatus Culmensis sessione quidem superior, proventu vero omnium est postremus, capitaneatum Brodnicensem, in castrum Culmense convertat, ibidemque judicia palatinalia & vicepalatinalia exerceantur, capitaneatus vero Cowaleviensis uti vacans remaneat. Injungimus etiam præsentis conventus autoritate, civitatibus Strasburgensi, Pucensi & Lautenbergensi, ut nemini, præterquam illis, quos ad capitaneatus illos ordinamus, id quod ipsarum est muneris reddant ac obligentur. Secus etiam non fecerint, nec præsentis laudi autoritatem convellere præsumant. In præmissorum fidem, sigillum harum terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæburgi, in conventu generali ante convocationem Regni generalem, d. 25. Junii anno Domini 1648.

Dd.

Thesaurarii reditus

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Mariæburgensi congregati, universis & singulis, quorum

medio grosso ex florenis singulis tributorum auctii.

quorum interest, notum testatumque facimus: Nos attentis magnis meritis, ac præcipue circa modernam calculationem in bonum publicum intaminata dexteritate, Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini Pomeraniæ, uti harum terrarum Thesaurarii, in vim gratitudinis atque qualecunque solatium, sequentem unanimi consensu fecisse ordinationem, quemadmodum hisce ordinamus & sancimus, ut ab hinc eidem Illustrissimo & Excellentissimo Domino Palatino, *a singulis florenis contributionum omnium*, modo laudatarum, & in futurum laudandarum atque in thesaurum terrarum inferendarum, *medius grossus*, quem præsentibus hisce ei assignamus, antea vero exactores percipiebant, in locum extraordinariarum expensarum dependatur & persolvatur, ea tamen lege, ne hoc in successores officii Illustrissimi Domini Thesaurarii in futurum trahatur, laudi moderni vigore. In præmissorum fidem sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæburgi, in conventu generali, die 26. mensis Septembris, anno 1680.

Ee.

Notarii Thesauri salarium.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Culmensi congregati, notum testatumque facimus. Postquam nobis deductum fuerat, quod Generoso Domino Stanislao de Kuksi Solikowski, antehac thesauri harum terrarum Notario, ex præterito die 4. mensis Maji anno 1658. Gedani

dani celebrato conventu, *summa' mille' octingentorum florenorum Polonicalium*, *ratione salarii duorum cum dimidio annorum*, in calculo in dicto conventu Gedanensi oblato, positi, pro tunc ad collectionem restantium aliarum retentarum contributionum rejecta fuerit, & eo nomine ab Illustrissimo Domino Palatino Culmensi, ipsi assecuratio ratione exsolvendæ præfatæ summæ 1800 florenorum Polonicalium facta fuerit, Nos nunc in totalem salarii prædicti atque adeo summæ istius 1800 florenorum prænumerationem ac plenariam ex retentis anterioribus extraditionem consensisse, prout quidem vigore præsentium consentimus, eliberando hac in parte fidem & assecurationem, a præfato Illustrissimo Domino Palatino Culmensi, Statibus & Ordinibus terrarum Prussiæ datam. In præmissorum fidem, sigillum harum terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum in conventu generali Culmensi, die 5. mensis Octobris, anno 1660.

Ff.

Tributa sine Prussorum consensu imperata, pro non legitimis habentur.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali antecomitiali congregati, universis & singulis, præsentium notitiam habituris, notum testatumque facimus. Posteaquam contributiones graves, contra antiquam praxin, normam ac formam contribuendi, tam præteritis, quam præsenti annis, sine conventu publico, sine nobis in nos, non convocatis Statibus & Ordinibus terrarum Prussiæ, imo in earum & civitatum summam oppressionem impositæ, earumque executiones militari manu propria instituuntur autoritate: proinde *consulendo indemnitati jurium & consvetudinum* terrarum ac civitatum, *contra indictionem earundem*, *modo de jure firmissimo protestamur*, omnino volentes, ne in posterum ulla ratione in sequelam indebitus hic modus trahatur, sed memoria ejus, salva calculatione ratione extortarum summarum, penitus aboleatur. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum harum hisce subappressum est. Actum & datum Graudenti, in conventu generali antecomitiali Terrarum Prussiæ, die 5. mensis Aprilis, anno 1712.

Gg.

Constitutionibus Regni, quæ Prussiæ juribus adversæ, publice contradicitur.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu moderno generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quia nos indemnitati jurium, immunitatum, consvetudinum harum terrarum æque ac civitatum, optime consultum esse volentes, animadvertendo, quod in volumen legum novellarum, proxime præteritis comitiis sancitarum, constitutiones quædam juribus & immunitatibus terrarum harum, civitatum, privatorumque juxta præjudiciosæ insertæ sint. Idcirco autoritate præsentis conventus, adversus ejusmodi constitutiones protestando, præprimis vero contra appendicem, quæ sub titulo, *pogłowne Zydowski*, in grande præjudicium jurium & immu-

immunitatum civitatum intravit, manifestamus, & omnia in contrarium remedia juris reservata volumus, præsentis laudi vigore. In præmissorum fidem, sigillum harum terrarum hisce est subappressum. Actum & datum Graudenti, in conventu generali, d. 20. Augusti anno 1685.

Hh.

Contra tributorum æquationem manifestatio.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali congregati, notum testatumque facimus, quorum interest, universis & singulis: Quod cum in proxime præteritorum, Brestiæ in Litvania celebratorum comitiorum constitutionibus, nonnulla, præsertim vero præjudiciosa constitutio de teloniis, sub specioso titulo, *o bespieczenstwie drog kupieckich*, tum & hujusmodi expressa verba, quæ conventus relationis, & *coæqvationem in terras hasce inducere* possent, inveniantur, quæ juribus harum terrarum e diametro sunt adversa, nos iisdem juribus nihil prorsus derogari, sed firmissime per omnia inhærere cupientes manifestandum esse duxerimus, prouti præsentibus manifestamus, nihil eorum, quæ taliter contra mentem & intentionem nostram, præmemoratis Regni constitutionibus inserta sunt, vel quomodocunque damnosam juribus harum terrarum interpretationem patiuntur, iisdem juribus ullatenus præjudicare posse vel debere. In cujus rei fidem sigillum harum terrarum præsentibus est subappressum. Datum in conventu generali

nerali Mariæbergensi, die 23. mensis Maji, anno Domini 1653.

Ii.

Thesaurarii ne fine publico Ordinum consensu, pecuniam mutuam accipiant.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu generali Graudentinensi congregati, notum testatumque facimus, quorum interest. Quod respicientes perplexitates, quæ ex eo imminere videntur, quod præteritis annis, Illustrissimi harum Terrarum Thesaurarii, nonnullas notabiles summas, vel in thesaurum Regni, ultra summas ex præviis laudis debitas, vel in alios usus erogaverint, & prænumerationes sibi procuraverint. Ad tales difficultates præcavendas, sanciendum duximus, prout vigore hujus sancimus, quod modernus Illustrissimus, & futuri Domini Thesaurarii harum terrarum, absque *prævio libero & generali laudo Prussiæ, nullas a quopiam prænumerationes exigere*, summasque pecuniæ publicæ, neque in thesaurum Regni, neque in alios quoscunque usus, ullo prætextu expendere, aut cuipiam extradere debeant, *nisi in duplo*, per paratam executionem, id ipsi vel ipsorum hæredes, vigore hujus laudi restituere velint. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum Graudenti, die 21. Novemb. anno 1667.

Ll.

Quando a Thesaurarum

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quo-

rum

rio receptorum tributorum rationes reddi debeant. rum intereſt, notum teſtatumque facimus: Quod nos, reaſſumendo anteriora lauda de non differendis theſauri rationibus, conventus præſentis autoritate ſancimus & ſtatuimus, quod ſecundum juſtitiam & æquitatem, *rationes theſauri impoſterum, poſt illatas in theſaurum contributiones, ſtatim proximo in conventu reddi*, nullaque in eo diſpenſatio admitti debeat, ita ut nec ad aliarum contributionum mentionem, niſi prioribus liquidatis, descendi poſſit. In præmiſſorum fidem, ſigillum terrarum Pruſſiæ præſentibus eſt ſubappreſſum. Actum & datum in moderno conventu generali Graudentinenſi, die 29. menſis Octobris anno 1679.

Mm.

Theſaurarius, redditis probatisque rationibus, liber declaratur. Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali Graudentinenſi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus: Quod Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus Vladislaus Los, Palatinus ad præſens Pomeraniæ & terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, Skarzevienſis Pokrzywnenſis &c. Capitaneus, in conventu moderno de contributionibus harum terrarum, nominatim de ſumma 261150 fl. 17 gr. 17½ ₰ bonæ argenteæ monetæ, ex undecim agrariis, de numero viginti duarum, & quadraginta duabus acciſis, die 16. Jul. a. 1683. in conventu generali Mariæburgenſi, nec non agrariis quinque, itidem in conventu generali Mariæburgenſi, die 20. Januarii anni ad præſens currentis laudatis, ſufficientem nobis *tam perceptorum, quam expoſitorum reddiderit calculum.* Proinde ratione prædictarum contributionum, earumque diſtributionis, eundem Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Vladiſlaum Los, Theſaurarium harum terrarum, *in forma juris, qua fieri poteſt, optima, quietamus & liberum facimus atque pronunciamus*, præſentium vigore. In præmiſſorum fidem, ſigillum terrarum Pruſſiæ præſentibus eſt ſubappreſſum. Actum & datum Graudenti, in conventu generali, die 20. Auguſti anno 1685.

Nn.

Theſaurarius a tribunalis Radomienſis jurisdictione eſt immunis. Nos Status & Ordines terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali Graudentinenſi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus. Quandoquidem a privato *tribunalis Radomienſis* conventu, cujus activitas ex præſcripto comitiorum proxime præteritorum ceſſare debet, his terris earundemque antiquiſſimis ac ſanguine partis juribus atque immunitatibus, *ſumma & ab acceſſione ipſa ad Regnum inaudita illata eſt violentia*, in perſonis Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Domini Palatini Pomeraniæ, terrarum harum Theſaurarii, ejusdemque officii caſtrenſis, atque Magnifici Domini Joannis Elzanowſki, ex palatinatu Mariæburgenſi, ad tribunal Radomienſe deputati judicis, latis contra *ipſos prægravabilibus ac nullatenus ſubſiſtentibus condemnationibus*, oppreſſa ejusdem Magnifici

fici Domini Elzanowſki violenter libera voce, datisque aliis gravibus injuriis, ulteriorque adhuc ipſis contra expreſſa terrarum harum lauda atque conſtitutionem Regni anno 1678. exſecutionum extraprovincialium metuenda ſit inſolentia, hinc in eum caſum, quodſi tales executiones a quocunque attentari vellent, ſubveniendo terrarum & incolarum ſecuritati, præſentis laudi autoritate ſtatuimus, ne talia decreta, vel Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Palatini, vel eorum officia exſequantur, vel in ſuis palatinatibus exſecutiones patiantur, ſed ſeſe tam injurioſis, convocata per Rotmagiſtros nobilitate palatinatus ſui, opponant decretis, & jus ſuum tueantur, in contra facientem enim conſurgemus univerſi, & juris noſtri integritati asſiſtemus. Cavemus quoque & ſpondemus nobis invicem, quod conjunctis animis & ſtudiis, terrarum ac civitatum commodum omni opera atque conatu promoturi, jura, privilegia & immunitates easdem concernentes, absque omni reſpectu perſonarum tuituri, omniaque ea, quæ ad ſalutem & incolumitatem prætactarum civitatum atque terrarum, earundemque omnium ac ſingulorum jurium & privilegiorum pertinere videbuntur, præſtituri ſimus. In præmiſſorum fidem, ſigillum terrarum Pruſſiæ hisce eſt ſubappreſſum. Actum & datum Graudenti, in conventu generali, die 30. Junii, anno 1687.

Nos

Oo.

Jura Pruſſorum adverſus tributa, ſine ipſorum conſenſu impoſita, aſſeruntur.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in conventu generali Graudentinenſi congregati, univerſis & ſingulis, notum teſtatumque facimus. Quia nos indemnitati jurium fundamentalium harum terrarum æque ac civitatum proſpectum eſſe volentes, animadvertendo, quod ſicuti, tam *ſciſcendarum*, quam *modificandarum contributionum liberrima facultas*, non niſi a conſenſu & arbitrio Provinciæ Pruſſiæ libero ſemper & ab ævis dependit, ita & ab anteceſſoribus uſitata ſemper praxi ac laudis & conſvetudinibus receptum, ne in hac materia laudandarum contributionum, quicquam de nobis ſine nobis ſusciperetur, nihilominus hac fatali temporum ac Provinciæ periodo evenit, ut hæ terræ Pruſſicæ, quarum antehac contributiones, quas libere & ſponte pro modulo facultatum ſuarum, ad neceſſitates Reipublicæ contulerunt, in multo minori portione a Republica grate acceptatæ fuerunt, *nunc ſextam conferre partem adactæ ſint*, *eoque ipſo tam Status & Ordines maxima ſua detrimenta*, quam & civitates, totam ſuam hujusmodi *aggravationibus*, *atque pro lubitu factis impoſitionibus*, ruinam experiri certiſſimum eſt. Idcirco autoritate conventus præſentis, adverſus ejusmodi *aggravationes atque repartitiones contributionum*, *ſine ſcitu & conſenſu Statuum & Ordinum harum terrarum factas*, *proteſtando* declaramus: nos quidem ſicuti jurata fide pro modo facultatum noſtrarum, pecunias a provincia in com-

 modum

modum publicum laudatas, pro obligationis vinculo exſolvere nunquam nos ſubtraximus, ita & pro futuris Regni utilitatibus, communi Statuum & Ordinum aſſenſu ſanciendis, neutiquam defuturos, ea tamen *ſub manifeſtationis præſentis clauſula*, ut quicquid anterioribus temporibus, per belli calamitates, tum conventuum infelices rupturas, præjudicioſum juribus provinciæ evenit, tanquam *irritum non ſolum habeatur*, ſed *etiam omnibus in contrarium juris remediis reſervatis, in nullam unquam trahi poſſit ſequelam*, ſtatuimus præſentis laudi vigore. In præmiſſorum fidem, ſigillum terrarum Pruſſiæ hiſce ſubappreſſum eſt. Actum & datum in conventu generali ante-comitiali Graudenti, d. 28. Auguſti, anno Domini 1730.

Pp.

Immunitas a vectigalibus. Nos Status & Ordines terrarum Pruſſiæ, in conventu generali Mariæburgi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus. Quandoquidem diuturnitate temporum horum infelicium, & needum ceſſante bellicarum calamitatum duritie, non tantum terras & incolas Pruſſiæ, omnibus jam fortunæ mediis exutos, ſed & ſimul eorundem jura cardinalia immunitatesque convelli animadvertimus; prout imprimis civitas Thorunenſis injuriarum harum ſenſum inter alios quam maxime experta eſt, dum ejuſdem cives & incolæ, tam in aquis, quam in terra, ad Fordanum, Brodniciæ & in Krobie, ſolutioni telonei, manifeſtiſſimis juribus terrarum harum, cum quibus ad Regnum libere acceſſimus, eaque ab illo tempore ſalva nobis ſemper reſervavimus, adverſi, illiusque occaſione variis aliis depactationibus, in grande præjudicium jurium terrarum harum, nec minus commerciorum omnium detrimentum hactenus ſubjecti erant. Proinde ejusmodi præjudiciis graviſſimis diutius connivere nolentes, & conſulendo integritati jurium & immunitatum noſtrarum, ſangnine majorum noſtrorum partarum, inhærendoque veſtigiis eorundem laudatiſſimorum majorum noſtrorum, in laudis anni 1610 & anni 1680 &c. relictis, easdem ſtrenue tueri, defendere & manutenere conſtituimus, nosque invicem ad id obligavimus, præſentibusque obligamus, omnimode volentes, ut in futurum *unicuique incolarum harum terrarum liberum ſit commercium, absque ulla præpeditione, aut ad Fordanum, Brodniciæ, in Krobie, aut aliis in locis hiſce terris confinibus teloneorum exactione.* In caſum vero, quodſi exactores teloneorum, dictis in locis incolas terrarum harum ulterius turbare, ab iisdem teloneum exigere, aut alias quasvis depactationes facere non deſiſterent, Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis Dominis Palatinis harum terrarum, aut eorum ſuccedaneis, ſerio committitur, quatenus ſecuritati publicæ invigilando, adhibito milite ex repartitione ad has terras Pruſſiæ, aut ratione contingentis ad easdem pertinente pedeſtrium

um turba, vel etiam si necessitas id postulaverit, mota universa harum terrarum Nobilitate, ejusmodi præjudiciosissimis hisce terris attentatis sese opponant, *& avitam harum terrarum libertatem ab omnibus teloneis vindicent, cameras teloneorum in fundo terrarum harum contra jura vel jam institutas, vel si quæ adhuc institui velint, ubicunque locorum abrogent, impediant, nec etiam ulterius in civitatibus superintendentes, aut alios officiales teloneorum morari patiantur:* e contra vero omnibus harum terrarum civibus aut incolis, omnimodam securitatem in libero commerciorum exercitio, sive in terra, sive in aqua, procurent atque manuteneant: cujus nomine Illustrissimis atque Excellentissimis Dominis Palatinis, eorumque succedaneis, omnimodam evictionem firmiter cavemus & promittimus, obligantes nos in universum, in omni termino & foro, communi sumtu & oppositionibus, integritatem jurium vindicaturos & afferturos. In præmissorum fidem, sigillum harum terrarum hisce subappressum est. Actum & datum Mariæburgi, in conventu generali, die 22. Maji anno 1713.

Qq.

Nobilitas singulis annis lustretur.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Graudentinensi ante-comitiali congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quod nos non tantum hujus temporis consulendo securitati, sed & bonum in pristinum vigorem revocando ordinem, autoritate præsentis conventus ordinamus, ut *lustrationes Nobilitatis, per omnes palatinatus, quolibet anno*, feria secunda post dominicam *conductus* habeantur & observentur, idque sub rigore pœnarum in legibus Regni descriptarum. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum Graudenti, in conventu generali antecomitiali, d. 19. Maji, anno 1699.

Rr.

Capitanei sint indigenæ & habeant possessiones.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in conventu moderno generali Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Cum ex re esse Provinciæ hujus in propatulo sit, moribusque majorum id obtineat, ut Illustres & Magnifici Domini Capitanei sint *indigenæ & possessionati;* proinde laudi præsentis vigore declarandum duximus, declaramusque, quod possidere quisquam *capitaneatum aliquem in his terris minime debeat, nisi qui earundem sit indigena & possessionatus.* Si qui tamen jam in capitaneatus alicujus possessione sint, nec vero possessiones proprias in his terris habeant, illi teneantur *intra decursum unius anni, easdem sibi parare*, & licet etiam capitaneatus hujus possessor sit & possessionatus, *indigenatum autem non habeat*, capitaneatus ille pro vacanti haberi debeat, salvo jure illorum, qui in functione publica existentes, ab his terris

terris abesse noscuntur. In præmissorum fidem, sigillum harum Terrarum hisce est subappressum. Actum & datum in conventu generali ante-comitiali Graudentinensi, d. 5. mensis Decemb. anno 1678.

Ss.

Liceat inhibere, si cui extraneo dignitates & bona Regia collata fuerint.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno generali conventu Graudentinensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus: Quod cum eo hactenus importune omnia solicitantium progressa sit hominum cupiditas, ut non obstantibus cum publicis juribus ac privilegiis, tum cautionibus, ratificationibus ac declarationibus Regiis, adeoque & novissima lege, ita sese Sac. Regiæ Majestati, Domino Nostro Clementissimo, importunos oggerant, quo non nisi maximo harum terrarum jurium ac privilegiorum detrimento ac præjudicio, Sacra Regia Majestas præfecturas, tenutas ac dignitates, conferre eisdem summa adigatur importunitate. Proinde autoritate præsentis conventus, laudandum statuendumque nobis esse duximus, prout quidem laudamus ac statuimus, ut, si quis præter veros harum terrarum indigenas, post obtentam noviter constitutionem, contra harum terrarum jura, privilegia, Regias cautiones & assecurationes, eandemque novellam constitutionem, impetrare tale quid, & occupare præsumserit, idemque sub quocunque titulo & obtentu e cancellaria Regia emanaverit, *interdicendi ac inhibendi ejusdem*

dem omni meliori modo ac ratione, *integra nobis remaneat facultas.* In præmissorum fidem, sigillum Terrarum præsentibus est subappressum. Actum & datum die 17. Junii anno 1647.

Tt.

Thesaurarius bona Regia vacua recipiat teneatque, donec indigenis collata fuerint.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Mariæburgensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quod moderando ambitum institutis harum terrarum adversum, integritati vero & immunitati earundem prospiciendo, constituimus, ut Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Palatinus Pomeraniæ, atque terrarum harum Thesaurarius, abhinc semper ex officio suo, majorumque nostrorum antiqua & ad præsens facta ordinatione, omnes ac singulos capitaneatus, villas & tenutas in his terris existentes, post decessum possessorum *recipiat*, *atque eousque teneat*, donec vel ex Sacræ Regiæ Majestatis gratia, vel ad nostram instantiam & intercessionem, *veris collatæ fuerint indigenis*, initium ad præsens mox faciendo, a vacante capitaneatu Borzechoviensi, quem nomine & autoritate nostra recipere tenebitur, pro stabiliendo jure indigenatus terrarum, cui hactenus in multis præjudicatum fuit, quod tamen neque redituum conservationi, neque inventario conscribendo, & in thesaurum Regni, ad satisfactionem legis publicæ, inferendo, derogare, neque ad consortes viduas indigenarum

rum decedentium harum terrarum trahi debet, quæ conditionem jusque maritorum ſuorum ſecutæ, iisdem immunitatibus ad vitæ tempus ſecure continuatis, per jura quoque terrarum uti poterunt, realiterque utentur: quam ordinationem noſtram, tam apud Sacram Regiam Majeſtatem, quam coram Ordinibus Regni, ubique tueri & manutenere nos obligamus, laudi præſentis vigore, quod perpetuitatis vim obtinere debebit. In quorum fidem, ſigillum harum Terrarum ſubappreſſum eſt. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, die 8. Julii 1671.

Vv.

Quomodo indigenatus petendus ſit.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu generali Thoruni congregati, omnibus quorum intereſt, notum teſtatumque facimus: Nos autoritate moderni conventus ordinaſſe & conſtituiſſe, quatenus impoſterum omnis Nobilis, quicunque indigenatum harum terrarum affectare voluerit, obligatus ſit, ut antequam a Statibus & Ordinibus petat, id beneficium ſibi concedi, *prius in particularibus ſe ſe præſentet conventibus, ibidemque omnium gratiam & intercesſionales pro adipiſcendo & conferendo indigenatu impetrare ſtudeat.* In cujus rei fidem, ſigillum harum terrarum hiſce ſubapprimi curavimus. Actum & datum Thoruni d. 11. Octob. anno 1666.

Nos

Xx.

Indigenatum ad ſolam ſobolem non ad alios conſanguineos transmitti.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, Mariæburgi in conventu generali congregati, univerſis ac ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus: quatenus omnes aſſerentes anteceſſores ſuos de terris Pruſſiæ oriundos, ad alios palatinatus Regni migraſſe, dum iterum ad easdem terras Pruſſiæ redeunt, & pro indigenis præfatarum terrarum Pruſſiæ cenſeri, juribus & prærogativis earundem gaudere volunt, authenticis id diſpoſitionibus docere teneantur: nec non illorum tantummodo ſucceſſores pro veris indigenis cenſeri debere declaramus, quorum *parentes ad jus indigenatus admisſi, non vero aliorum collateralium.* In præmiſſorum fidem, ſigillum Terrarum Pruſſiæ ſubapprimi fecimus. Actum & datum in conventu generali Mariæburgenſi, die 3. Januarii, anno 1668.

Yy.

Pruſſi ad uſum pecuniæ ſine ſuo conſenſu cudendæ obligari nolunt.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in moderno conventu congregati, univerſis & ſingulis, notum teſtatumque facimus: Quod cum in proxime præteritis Regni comitiis, contra intentionem propoſitionis Sacræ Regiæ Majeſtatis in conventu antecomitiali Mariæburgenſi, nomine Ejusdem expoſitæ, nec non contra inſtructionem hoc in negotio Magnificis & Generoſis Dominis Nuntiis noſtris ad Regni comitia euntibus datam, per conſtitutionem certam, novus cudendæ monetæ ſit deſcriptus modus, contra

quem

quem Generosi Domini Nuntii nostri, & circa conscriptionem constitutionum, & postmodum coram actis Radzinensibus palam protestati sunt, ideoque insistendo huic protestationi consulendoque indemnitati jurium ac libertatum terrarum Prussiæ, præsentibus iterum iterumque contra novum huncce monetandi modum, quem infinita damna secutura sunt, solennissime protestamur, publice & palam declarantes, quod *ad receptionem ejusmodi novæ monetæ*, si forte non obstante hoc dissensu nostro nihilominus cusa fuerit, *nullatenus adigi nos patiemur, & quod ab invectione & importatione ejusdem in hasce terras, omnes & singuli incolæ, nec non civitates harum terrarum vel maxime cavere debeant.* In præmissorum fidem, sigillum terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum in conventu generali Graudentinensi, d. 30. Septemb. anno 1654.

Zz.

Polona pecunia ad minus pretium redacta.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Graudenti congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quoniam communis efflagitat necessitas, ut pro avertendo extremo in publicum & privatos damno ac dispendio, Boratini & Tympiani Orthones, atque sex & trium grossorum aliæque minores species in Regno cusæ, ad justum quam primum reducantur valorem; proinde subveniendo tam publico quam privato emolumento, deducimus *præfatos Orthones ad quindecim & sexgrossales ad quinque grossos, tresgrossales vero aliamque minutiorem monetam ad ejusdem proportionem debitam.* Quæ reductionis currentia in crastino festi S. Michaëlis anni præsentis suum sortietur effectum. Interea civitates eas inibunt rationes, ut ad valorem istius monetæ, justa reductio mercium conformetur. In præmissorum fidem, sigillum terrarum Prussiæ est subappressum. Actum & datum Graudenti, in conventu generali ante comitia electionis, die 11. Februar. anno 1669.

Aaa.

Prussos noluisse iis obligari, quæ sine suo consensu, a Polonis in re monetali decernerentur.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ, in moderno conventu generali Mariæburgensi congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem commissio pro coæquatione monetæ per constitutionem in comitiis novissimis Posnaniæ habenda indicta, toties limitata & tandem sine ullo effectu ad Sacram Regiam Majestatem & Rempublicam remissa, jam vero iterum, ut reassumeretur, ex Senatus consilio statutum est, prout etiam eidem terminus, pro ultimis diebus mensis præsentis assignatus esse fertur. Cum vero hinc plura in has terras redundare possint incommoda ultimariaque commerciorum accelerari ruina, hinc saluti hujus Provinciæ consulentes manifestamus, *in casum, quod si hæc commissio denuo haberi & in ea quicquam de facto statui vellet, illa omnia has terras & civitates nulla ratione obligare, nec*

illis

illis ulli esse præjudicio debere, præsentis laudi vigore. In præmissorum fidem, sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, die 26. Maji, anno 1688.

Bbb.

Civitates a jurisdictione tribunalis Poloni immunes.

Nos Prælati, Palatini, Castellani, Succamerarii, equestris ordinis & civitatum terrarum Prussiæ Consiliarii, notum facimus præsentibus hisce nostris litteris, universis & singulis, imprimis autem quorum id scire refert. Posteaquam a multis immemorabilibus annis, vigore jurium, privilegiorum & immunitatum harum terrarum, ratione instantiarum hic mos observatus fuit, ut Nobiles terrigenæ, ab inclutis judiciis terrestribus, ad nos, tanquam Consiliarios harum terrarum, ac denique ad Serenissimos Reges Poloniæ appellarint, illi vero moderno tempore, contra hujusmodi jura, privilegia & immunitates consvetudinesque, loco ultimæ instantiæ apud Sacram Regiam Majestatem, novo & antehac inusitato modo, non tantum tribunal in Polonia Petricoviense elegerunt ac susceperunt, verum etiam citra universum & unanimem omnium Dominorum Consiliariorum ac Nobilium consensum, ab hoc conventu suas appellationes eo reapse direxerunt, atque harum terrarum publico sigillo, hoc tempore ad id uti voluerunt: quod Spectabiles majores civitates, Thorunensis, Elbingensis & Gedanensis, in Consilio præsenti per suos deputatos & internuntios, prouti & una cum

cum minoribus civitatibus, in præteritis Varsaviensibus comitiis, ac nupero Mariæburgensi conventu jam factum est, quoniam hoc diligenti instantia, sollicitationibus & admonitionibus haud amovere potuerunt, pro se & nomine suorum seniorum, adeoque omnium incolarum, adversus tale attentatum Nobilitatis publice ac solenniter protestatæ sunt, atque se non minus moderni præsentes, quam successorum ergo præcustodiverunt ac muniverunt, quod *talis novitas hisce terris ac civitatibus*, in suis juribus, privilegiis, immunitatibus ac consvetudinibus, his & futuris temporibus, *non præjudiciosa vel noxia esse debeat*, & quod ipsi in omne id, quod hic realiter attentatum est, *neutiquam consentire possint nec velint temporibus perpetuis*. In præmissorum fidem, præsentes sigillo harum terrarum muniri fecimus. Actum & datum Thoruni in ordinario conventu generali, die 4. mensis Octobris, anno post nativitatem JEsu Christi 1585.

Ccc.

JOANNES TERTIUS, Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ &c.

Appellatio a judicio assessoriali ad

Significamus præsentibus litteris Nostris, quorum interest, universis & singulis. Quemadmodum a susceptis Regiis diadematis insignibus eum clementiæ erga omnes Regni Ordines concepimus affectum, ut omnes illos

T

judicium relationum confirmata. illos gratia & protectione Nostra complecteremur, atque immunitates, jura, privilegia & consvetudines illorum, quibus a Divæ memoriæ Prædecessoribus nostris fruuntur, in valore suo conservaremus: ita cum singulariter nomine civitatum majorum terrarum Prussiæ, Nobis per querimoniam expositum esset, qualiter partim cursus justitiæ contra antiquissima earum jura, hinc inde in judiciorum subselliis immutetur, præsertim ad judicia Nostra assessorialia, per hominum licentiosorum fallacias, eadem jura frequentibus subjaceant præjudiciis, ac inter illa jurisdictionem Nostram Burggrabialem quotannis pro publica in civitatibus illis securitate speciali privilegio confirmatam, per illicitas causarum avocationes & temere exportatas prosecutiones appellationum, tantum non convelli. Tum vero beneficium *a decretis judicii Nostri assessorialis ad Nostra relationum propriarum judicia appellandi*, queis suis juribus, jam inde ab accessione ad Regnum Poloniæ possessis gauderent, denegata ad Nos appellatione, seu remissa, etiam in causis notabilibus, diminutionem subinde pati: proindeque Nobis supplicatum esset, ut eadem illarum civitatum majorum Prussiæ jura Burggrabialia, cum integra in criminalibus & causis facti decidendique facultate, nec non legitime quæsitam ad Nostra relationum propriarum judicia appellandi facultatem, speciali diplomate Nostro approbare, innovare, confirmare & ratificare dignaremur. Nos justæ supplicationi earundem civitatum majorum

majorum Prussiæ fideli & sincera subjectione semper Nobis commendatarum, gratissime annuentes, obviando ulterioribus præjudiciis, omnia & singula prædictarum civitatum jura, privilegia, responsa & decreta, quocunque nomine venerint, a Serenissimis Prædecessoribus Nostris benigne ipsis indulta, ratione jurisdictionis Burggrabialis, quam quotannis per assignationem Burggrabii Nostri confirmamus, quatenus ab ejusdem officio, seu solo, seu cum Magistratu conjuncto, in causis criminum & facti, appellatio non detur, sed decreta ejusdem, ob publicam securitatis rationem pro re judicata habeantur. Deinde jus quoque D. JOANNIS CASIMIRI Regis, Prædecessoris Nostri benignissimo responso ad instantiam Statuum & Ordinum Prussiæ emanato, perpetuo usu observatum & observandum, declaratum modum, rationem & ordinem admittendarum ad judicia Nostra relationum *a judicio Nostro assessoriali appellationum in se comprehendens, in omnibus approbanda, ratificanda & confirmanda esse duximus, ut quidem approbamus, ratificamus & confirmamus hisce litteris Nostris*, decernentes, easdem debitæ & inviolabilis firmitudinis vim & robur perpetuo obtinere debere, non obstantibus ullis rescriptis, appellationibus, citationibus, declarationibus, inhibitionibus & præjudicatis in contrarium obtentis & obtinendis. Quæ singula uti invalida & legitimum justitiæ ejusque executionis cursum non impeditura, litteris hisce Nostris declaramus. In quorum fidem, præsentes manu Nostra

ſtra ſubſcriptas, ſigillo Regni muniri mandavimus. Varſaviæ, die 15. menſis Maji, anno Domini 1696. Regni vero Noſtri 22. anno.

JOANNES REX.

NICOLAUS TOMISLAWSKI,
Crac. Varſ. Can. Regiæ Maj. Secretar.

Ddd.

Cives Catholici ad Magiſtratum admittantur.

Nos Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ, in præſenti conventu generali Mariæburgi congregati, univerſis & ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumque facimus: Quod cum cives Romano-Catholici in civitatibus & oppidis Pruſſiæ habitantes, in omnibus jure æqualitatis cum reliquis civibus Auguſtanæ confeſſionis gaudeant, adeoque æque ac illi ad *munia Magiſtratus civiles admisſibiles* ſint, nos conſtituerimus, prouti autoritate præſentis conventus laudique hujus vigore conſtituimus, ut *cives Romano-Catholici in civitatibus & oppidis Prusſiæ habitantes, ad munia magiſtratus civilis admittantur*, *ſalvis pactis Olivenſibus & juribus liberæ electionis*, civitatibus ab illarum primæva fundatione competentibus. In præmiſſorum fidem, ſigillum harum Terrarum hisce ſubappreſſum eſt. Actum & datum Mariæburgi in conventu generali, ante convocationem Regni, die 23. menſis Martii anno 1733.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

B.

C.

Dignitates

D.

E.

F.

G.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

Religio-

R.

S.

 diu

V.